

Ecclesiam vigilando, & debitam curam, ac sollicitudinem habendo pro bonis ejus, ne videlicet a Rectore, vel Ministris, aut etiam ab aliis dilapidentur, melè, aut contra finem a Fundatore intentum applicentur. can. Filii. 31. cau. 16. q. 7. ubi etiam statuitur, ut si quid in his corrigendum invenerit, Rectorem vel Ministrum Ecclesie honestè monere, aut Episcopo denuntiare debeat; non item quòd Sacerdotem oburgare, corrigere, aut punire valeat: ibi: Sacerdotem, aut Ministrum ex collatis rebus praverint defraudare, aut communitatis honeste conventionem compellant, aut Episcopo, vel Judici corrigenda denuntiant. Quid si talia Episcopus agere timent, Metropolitano ejus hoc insinuare procurent.

118 Unde vi Patronatus penitus nullam jurisdictionem in Beneficium usurpare debent Patroni; neque in eis, quæ ad Sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se presumant ingerere; neque visitationi ornamentorum Ecclesie, aut honorum stabilitiam, seu fabricarum proventus se immisceant, nisi quatenus id eis ex institutione, ac fundatione competat; sed Episcopi ipsi id faciunt &c. pro ut expressè statuitur à Concilio Tridentino Sess. 24. de Reform. cap. 3. & docet Engel h. t. n. 5. Layman lib. 2. tr. 2. cop. 13. num. 9. & seq. & alii. Notat tamen Honorius h. t. num. 28. posse Patronum extrajudicialiter inquirere super statu Ecclesie, ut si majori infirmitate luita, debita honestate monere Beneficiarium, aut Ministros, vel Episcopo cum majori Lamentamento denuntiare valeat, juxta can. Filii. cau. 16. q. 7. & can. seq. eod. cau. & q.

119 Secundum onus, munus, & obligatio Patroni est, ut Ecclesiam tanquam Advocatus ipsius in, & extra judicium pro possibili defendat. Egnanus in c. cum autem h. t. num. 3. & ibi Hostiensis, ac Innocentius, Engel h. t. n. 5. & alii, arg. c. Præterea. 23. & c. cum autem. 24. h. t. ubi propterea Patroni vocantur Advocati. Non tenentur tamen id propriis expensis facere, sed satisfaciunt, si expensis Ecclesie faciunt.

120 Queritur IV. An Patroni præter præfata à numero. 110. duo jura habeant etiam jus aliud, vel potestatem in Ecclesiam, vel bona ipsius, vel Rectorem ejusdem, ita ut possint Ecclesie & Beneficiis onus aliquod, aut pensionem imponere, aut à Beneficiario exigere, aut de bonis illius disponere, aut Beneficium amovere? &c. Resp. I. Patroni sive Laici sive Ecclesiastici sint, præter privilegium præcedentis, & alimenationis in statu inoffensive penitus nullam habent potestatem, aut jurisdictionem in Ecclesiam; adeoque Eidem, vel Rectori ejus nec miniam quidem pensionem, vel onus imponere, vel ab eis exigere possunt, nisi pensio vel onus hujusmodi in prima fundatione cum consensu Episcopi fuerit constitutum. Abbas in c. Præterea. 23. h. t. n. 3. & ibi Barbosa, Ancharanus, Joan. Andreas, Hostiensis, Butr. & Doctores communiter. Textus apertus habetur in c. Præterea. 23. h. t. ubi postquam conquestus est Lucius Papa, quòd Advocati Ecclesiarum (id est Patroni, Glossa ibid. v. Advocati) presumant Fodrum, id est collectas quas Patroni imponebant Ecclesiis, Glossa ibid. eod. v. Advocatus. (cogendo videlicet Ecclesias, ut unum, vel plures milites habeant, & nutriendi, vel pretium vigiliarum solvant, & Hostiensis ibid.) Regiam (hoc est Tributum, à Regibus imponi solitum, Glossa ibid.) & si nulli tantum à propriis Rusticis ab Ecclesiis extorqueat: subiungit, præsentis Decreto statumimus, eis sive Advocati, sive Patroni &c. seu quocumque alio nomine censeantur, à gravaminibus Ecclesiarum cessare, nihilque in ipsis præter antiquos, & moderatos redditus, à Laicorum Episcopis institutos exigere; aut si aliud exegerint, Excommunicatiioni subdantur.

Contra huc quoque hujusmodi quos fecerunt, vel faciunt in futurum, vim aliquam habere, decernimus non habere. Concordat c. 1. & c. Gravis. 15. de Consensu. Ratio est; quia similia onera non nisi iudicis imponi, & ab eis exigi possunt, ut notatur in c. Præterea. 23. h. t. ibi: Tanquam à propriis Rusticis; Ecclesie autem, & Rectores eorum non sunt iudicis respectu Patroni quæ talis; ergo.

Dicitur autem notanter, Nisi pensio, vel onus hujusmodi in prima fundatione cum consensu Episcopi fuerit constitutum; potest enim Patronus cum consensu Episcopi in prima fundatione aliquam pensionem, vel servitium sibi præstandum, Ecclesie, aut Beneficiario imponere, hoc ipso, quòd quisvis rei suæ moderator, & abster sit, possitque non aliter, quam cum certa conditione, donare, l. Tre. C. Mandati. unde saliter in postum, postea licite exigere valet, ut liquet ex textu in c. Præterea. 23. h. t. ibi: Præter antiquos moderatos ab Episcopis institutos redditus: dummodo cum consensu Episcopi imponantur, ibi: Ad Episcopos, & moderati sint: si enim immoderate etiam cum consensu Episcopi fuerint imposte pensiones, vel onera, debet ea postea Episcopus, vel Successor ejus moderari. Abbas in id. c. Præterea. 23. h. t. n. 7. & ibi Doctores, quos sequitur Pirhing h. t. n. 42. arg. cit. c. Præterea ibi: Moderatos, & c. 1. de Consecrat. dummodo fiant tempore fundationis, quia post illam nec cum consensu Episcopi imponi possunt, Glossa in can. 2. cau. 10. q. 1. v. Non pertinere. arg. c. 1. & c. 15. de Consensu. Ratio est; tum quia post factam donationem conditio aliqua apponi non amplius potest; nam perfecta donatio conditiones postea non recipit, ut dicitur L. 4. C. de Donat. que sub modo. Porro onus, vel pensio in prima fundatione legitime imposita, postea non amplius augeri potest. Doctores communiter in c. Gravis. 15. de Consensu. ubi Summarium sic habet: Patroni etiam Clerici novum cum sum Ecclesie imponere non possunt, nec veterem augere.

Resp. II. Rustici penitus nullam jurisdictionem, 122 aut potestatem in bona Ecclesiarum patronatarum habent Patroni sive Laici, sive Ecclesiastici; adeoque nec eis se ingerere, nec de eis disponere, nec visitationi eorum se immiscere, multò minus aliquid de eis sibi appropriare, aut in sui utilitatem convertere possunt, nisi quatenus quid eis ex institutione, ac fundatione competat. Communis ac certa, ob clara Jura Concilii Trid. Sess. 22. de Reform. cap. 11. ibi: Si quem Clericorum, aut Laicorum, quocumque in Dignitate aut Imperiali, aut Regali resurgat, in unum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicuius Ecclesie, seu cuiusvis secularis, aut Regularis Beneficium, Monumentum Pietatis, aliorumve priorum locorum, jurisdictiones, bona, census, ac jura etiam Feudalia, & Emphyteuticæ, fructus, & emolumenta, seu quocumque conventiones, que in Ministrorum, & pauperum necessitates converti debent, per se, vel alios, vi, & timore incussis, seu etiam per suppositas personas Clericorum, aut Laicorum, aut quocumque arte, aut quo unque quævis colore in proprios usus convertere, illosque usurpare presumpserit, seu impedire, ne ab aliis, ad quos jure pertinet, percipiuntur, in Anathematibus in diu subjaceat, quamvis jurisdictiones, bona, res, jura, fructus, & redditus, quos occupaverit, vel quid eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositæ personæ pervenerint, Ecclesie, ejusque Administratori, sive Beneficiario integrè restituerit, ac deinde à Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quid si Ecclesia ejusdem Patronus fuerit, etiam Jurepatronatus ultra prædictas penas in se factio privatus existat. Simile quid statuitur Sess. 24. de Reform. cap. 3. ubi præcipitur, ut Patroni visitationi ornamentorum Ecclesie, aut honorum stabilitiam, seu fabricarum proventus se non immis-

immisceant, nisi quatenus id eis ex institutione, ac fundatione competat: sed Episcopi ipsi hæc faciant. Hoc etiam vel maxime facit Dispositio ejusdem Concilii Sess. 25. de Reform. cap. 9. ubi circa medium sic statuit: Patroni autem Beneficiorum quocumque Ordinis, Dignitatis, etiam Communitatis, Collegia quæ Beneficiorum, vel Laicorum existant, in perceptione fructuum, proventus, obventionum quorumcumque Beneficiorum, etiam verè de Jurepatronatus ipsorum ex fundatione, & donatione essent, nullatenus, nullave causa, vel occasione se ingerant, sed illos liberè Rectores, seu Beneficiarios non obstantes etiam quocumque consuetudine distribuendo dimittant.

123 Ubi tamen notandum circa ultima verba, non obstante quocumque consuetudine; quòd licet nullus Patronus vi consuetudinis ante Concilium Tridentinum introducere possit se ingerere bonis, & redditibus Ecclesie, nihilque de iis disponere, possit tamen id ipsum vi consuetudinis post Concilium legitime introducere; quia juxta dicta Lib. 1. Tit. 4. de Consuetud. à n. 185. dicta clausula non derogat consuetudini futuræ. Hinc licet de Jure administratio Gazophylacii, & aliorum Ecclesie honorum nullatenus ad Patronum spectet, ut bene cum aliis notat Layman lib. 4. cap. 2. cap. 13. n. 11. tamen eadem administratio præteritum cumulativa cum Rectore ad Patronum pertinere valet vi consuetudinis post Concilium introducere, per Jura allegata in cit. Tit. de Consuetud. Porro limitata est conclusio in his, qui non tenentur nudi Patroni sunt, sed etiam Ecclesiam, aut Beneficium sibi incorporatum habent; si enim de bonis Beneficii utpote ad se plane pertinentibus (excepta congrua) ut que disponere poterant, per dicta supra Tit. 27. de Capell. Monach. n. 17.

124 Resp. III. Denique Patroni sive Ecclesiastici, sive Laici penitus nullam jurisdictionem aut potestatem (excepto jure presentandi, & jure tenendi ac defendendi) circa Beneficium, aut Beneficiarium habent; adeoque auctoritate suâ nullam in Beneficio instituire, aut institutum amovere possunt. Caret controversiâ, textu claro c. Præterea. 4. h. t. ibi: Præterea, quia in tantum quorundam Laicorum (Patronorum) processit conductio, ut Clericos instituant, & removeant, cum viderint, ipsos anathemate decernimus feriendos. Clericos autem, qui Ecclesiam per Laicos sine propria Episcopi auctoritate receperit, communitate privatur, & si persistenter, à Ministerio Ecclesiastico, & Ordine deponatur: ac ibi Doctores omnes.

125 Queritur V. Quibus de causis, & quibus modis Jurepatronatus amittatur, & penitus extinguatur? Dicitur notanter penitus extinguatur: quia quibus modis ab uno in alium transferatur, plene dictum est supra §. 2. Resp. ergo, Jurepatronatus variis ex causis, variisque modis extinguatur. Patet inductione. Nam I. Extinguitur per liberam remissionem Patroni. Zoëlius h. t. n. 68. & alii, c. 1. h. t. n. 6. Ratio est; quia potest quis renunciare juri suo, c. Si diligenti, de Foro compentent.

II. Si Ecclesia sine spe reedificationis totaliter destruitur, aut alia ratione des, & redditus ipsi s pereant. Barbosa lib. 3. Jur. Ecclesiarum cap. 1. n. 254. Zoëlius h. t. n. 68. Engel h. t. n. 26. cum communi. Ratio est, quia non ens non sunt quæ erant.

III. Si Patronus variat Ecclesiam patronatam fieri Collegiatam, aut Monasterium. Doctores citati Pirhing h. t. n. 13. Butr. in c. Nobis h. t. n. 26. & alii. Ratio est; quia in his presentatio aliqua locum non habet, sed electio, c. Nobis 25. h. t. & dictum est supra.

IV. Desinit, a faciente familia, si Jurepatronatus pro solis ex familia ab initio institutus est. Engel loc. cit. Pirhing loc. cit. Barbosa loc. cit. Nec indiget probatione.

V. Si Ecclesia patronata cum consensu Patroni alteri Ecclesie, vel Monasterio sine reservatione Jurepatronatus unitur, seu incorporatur. Zoëlius loc. cit. Joan. Andreas in c. 2. de Religios. Domib. Pirhing h. t. n. 138. Ratio est; quia per unionem hujusmodi censetur Ecclesia extincta, consequenter & Jurepatronatus in illa competens.

VI. Per non usum longissimi vel longi temporis ad præscriptionem requisiti; si interea bis saltem Rector Ecclesie sine presentatione est institutus: tunc enim Ecclesia redit ad suam libertatem; dummodo Patronatus legitime non fuerit impeditus. Barbosa loc. cit. Abbas Confil. 106 vol. 2. Engel h. t. n. 26. Pirhing eod. loc. cit. Ratio est; quia sicut alii, ita & ipsa Ecclesia contra Patronum, & jus eius præscribere potest, per ea que supra de Præscriptione sunt dicta.

VII. Si Patronus Ecclesie Rectorem, vel alium Clericum ipsius Ecclesie per se, vel per alios occidere vel mulcare nescando ausu præsumpsit, Patronus Jurepatronatus prorsus amittit, sunt verba, & c. In quibusdam. 12. §. Sacri de Poen. 4. & ibi DD. communiter, atque Barbosa loc. cit. Zoëlius loc. cit. Pirhing loc. cit. Engel h. t. lo. cit. qui tamen id limitant, si Patronus id facit pro sui defensione cum moderate inculpate tutela; quia vim vi repellere omnia Jura permittunt. Ceterum Jurepatronatus ob hanc delicti causam extinctum, non transit ad hæredes; sed Ecclesia evadit libertate collationis, Barbosa loc. cit. arg. cit. & In quibusdam de Poen. & ibi Glossa v. Proximi amittant.

VIII. Si Patronus sit Hæreticus, Schismaticus, aut Apostata. Barbosa loc. cit. Engel h. t. n. 26. Zoëlius eod. Monet. de Commu. ult. volunt. cap. 1. n. 158. & alii. Ratio est; quia horum bona omnia confiscantur, consequenter & Jurepatronatus est annumerum, arg. c. In de Hereticis, & ob que confiscatur bona, amittitur, prout supra diximus.

IX. Si Patronus ingerat se quoad dispositionem, aut perceptionem fructuum modo aliquo per Concilium Tridentinum Sess. 22. de Reform. cap. 11. prohibito, textum vide supra num. 122.

X. Si Patronus modo à SS. Canonibus prohibito, vendit, aut alio modo in alium transferat Jurepatronatus, uti expressè statuitur in Concilio Tridentino Sess. 25. de Reform. cap. 9. & docet ibi Barbosa, Engel h. t. lo. cit.

XI. Et utinam privandi sunt Jurepatronatus Patroni, qui illud in omnia à acquirit, Zoëlius h. t. lo. cit. arg. c. Quia clerici. 6. h. t.

TITULUS XXXIX.

De Censibus, Exactionibus, & Procuratoribus.

I. Ratio Continuationis.

Ordine non incongruo præcedentem præsentis sequitur Titulus; quia licet ut Jurepatronatus est onus aliquod Ecclesie, utpote que alias esset libertate collationis, ita Censibus, Exactionibus, & Procuratoribus sunt onera Ecclesiarum, & Beneficiorum, ut statim videbimus. De quibus materia etiam extant canones cau. 10. qu. 2. & 3. per totum.

§. I.

De Censibus: ubi in specie de Cathedralicis: S. V. A.

SUMMARIUM.

- 2 Censum varia acceptio.
- 3 Definitur ad propositum.
- 4 Et variè dividitur.
- 5 Censum pro libitu imponere potest Papa.
- 6 Episcopus vero non nisi Censum antiquum.
- 7 Quem semel impostum augere nequit.
- 8 Nec regulariter Censum novum perpetuum imponere.
- 9 Benè tamen Censum temporalem.
- 10 Cathedraliticum quid? & unde?
- 11 Ad illud tenentur omnes Ecclesie seculares.
- 12 Non item Regulares.
- 13 Legi Diocesane Regulares non sunt subiecti. ibid.
- 14 Ecclesie seculares, Regularibus incorporate, seu Capella eorum tenentur ad Cathedraliticum.
- 15 Quantitas Cathedralitici desumitur è consuetudine loci.
- 16 Solidus quid? ibid.
- 17 In qua moneta, & quo tempore solvendum Cathedraliticum.
- 18 Cathedraliticum præscriptione penitus tolli non potest. Et num. seq.
- 19 Acephalus nemo debet esse. Ibid.

Notandum prius, Censum diversimodè accipi, & ejus nomine varia venire, ut videre est apud Calvinum v. Censur. & Molinam Disp. 381. Potissimè verò & generaliter accipi solet pro omni eo, quod annuatim alteri solvitur. Quo sensu Censur dicitur etiam Canon annuus, quem Emphyteuta singulis annis dat Domino in recognitionem domini directi, juxta dicta Tit. XVIII. §. de Emphyteus. Item Tributum l. Aetatem. ff. de Censibus. Principaliter etiam sumi solet pro illa pensione annua, quæ solvitur ex contractu, per quem traditur res aliqua tam quoad dominium directum, quam indirectum, reservata pensione annua. De quo Censu etiam diximus in Theologia nostra Morali Tr. 8. Disp. 4. q. 6. & extat celebris Bulla Pii V. Cum omnes, quæ est ordine 79. apud Cherub. Verùm de Censibus in hoc sensu Titulus præfatus non agit, sed solum de illo Censu, quem solvit Ecclesia, aut Beneficiatus Episcopo, vel ejusdem autoritate aliis. Hinc

3 Queritur I. Quid ad præfens, & quotuplex sit Censur? Resp. I. Censur est annua pensio, quæ ex redditibus, seu proventibus Ecclesie, seu Beneficii in signum subjectionis annuatim solvitur Episcopo, vel ejusdem autoritate, & iusta de causa, aliis. Est in re communis. Ex qua definitione liquet, quòd licet illa pensio, quæ in signum subjectionis (non domini) solvitur Episcopo, ad præfens principaliter, ac potissimè sit, & dicatur Censur, arg. c. 2. h. t. c. Constitutus. 6. de Religios. Domib. Tamen nomine Censur hic veniant etiam illæ pensiones, quæ ejusdem Episcopi autoritate, iusta de causa aliis quoque solvuntur, uti aperte colligitur ex c. penult. h. t. ubi Censur seu pensio annua de bonis Ecclesie solvitur Canonice, & c. Præterea de Jurapatron. ubi Patronus de bonis Ecclesie annua moderata pensio autoritate Episcopi constituta solvitur.

4 Resp. II. Censur ad propositum dividitur in Novum & Antiquum. Novus est, qui ab initio non impostus, nec ab aliis Ecclesiis regulariter solvi solitus, primùm post Foundationem, aut Consecrationem imponitur Ecclesiis, Hostiensis h. t. n. 4. Honor. eod. n. 6. Engel h. t. n. 6. Et de hoc extat prohibitio, c. Prohibemus. 7. h. t. n. 6. Antiquus est, qui statim ab initio, tempore Foundationis nempe, aut Consecrationis vel imponitur, vel ipso Jure debetur: cujus principalis species est Cathedraliticum juxta dicenda

infra num. 10. Deinde subdividitur in Censum temporalem & perpetuum. Barbosa de Offic. & potest. Episc. allegat. 85. n. 1. c. seqq. Perpetuus est, quo Ecclesia in perpetuum gravata & obligata manet. Temporalis verò est, qui solum ad certum tempus singulis annis ab Ecclesia, vel Beneficio præstari debet. Patet ex terminis.

Queritur II. Quinam, & qua de causa Censum imponere possint Ecclesiis, aut Beneficiis? Resp. I. Certum est, quòd Papa novum & antiquum, temporalem & perpetuum Censum imponere possit cuivis Ecclesie, aut Beneficio. Omnes. Ratio est; quia Papa ex plenitudine potestatis potest de quovis Beneficio liberè disponere; prout sibi benè visum fuerit, c. 2. de Præb. in 6.

Resp. II. Censum antiquum (videlicet tempore Foundationis, aut Consecrationis Ecclesie) non tantùm temporalem, sed & perpetuum solvendum pro se, vel pro aliis, etiam Episcopus imponere potest. Ita clarè patet ex can. Eleutherius. 30. can. 18. q. 2. ubi Censur ab initio per Episcopum impostus, eidem solvi jubetur; & ex c. Prohibemus. 7. h. t. atque docet ibidem Glossa v. Censur. & insuper probatur ex c. Præterea. 23. de Jurapatron. ubi Episcopus moderatum antiquum Censum pro Patrono imponere posse supponitur.

Resp. III. Censum antiquum semel impostum augere postea non amplius potest Episcopus, vel alius Papa inferior; textu claro c. 7. h. t. ibi: Prohibemus ne ab Episcopis, Abbatis, vel abis Prelatis &c. Censur veteres augeantur, & Doctores communiter; addentes cum Glossa ibid. & Abbate n. 3. antiquum Censum augeri non posse, etiam si augeantur facultates, & redditus Ecclesie. Ratio est, quia Censur vel datur in signum subjectionis, & tunc necesse non est, ut augeatur; cum etiam in minimo subiectio denotari queat, ut benè advertit Abbas arg. c. 2. h. t. vel datur & constituitur pro privato v. g. Patrono, etiam tunc augeri propter augmentum facultatum non potest. Ratio est; quia in contractu Censuali dominium ex toto transit in recipientem, Ecclesiam v. g. per dicta num. 2. consequenter huic, & non aliis augentur facultates.

Resp. IV. Regulariter loquendo, nullus præter Summum Pontificem Ecclesiis, ac Beneficiis, sive Regularibus, sive secularibus imponere potest novum Censum perpetuum. Barbosa in c. Prohibemus. 7. h. t. n. 2. & ibi Doctores communiter, atque Pirhing h. t. n. 8. Engel h. t. n. 3. & alii, textu claro cit. c. Prohibemus. 7. h. t. ibi: Prohibemus, ne ab Abbatis & Episcopis, vel aliis Prelatis novi Censur imponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur &c. si quis verò aliter fecerit, irritum, quòd egerit, habeatur. Concordat c. Scientes. 3. cod. & Clem. un. §. Eadem quoque de Supplend. neglig. Prælat. Dicitur autem Regulariter, quia limitatur Conclusio, I. In casu quo Episcopus cum consensu Capituli alicui Ecclesie exemptionis gratiam tribuit, id est, à jurisdictione Episcopali, oneribus, & jurbus Episcopalibus liberat; tunc enim jura remittendo Episcopalia potest sibi Censum retinere, ut habet Summarius, & textus clarus; c. Constitutus. 6. de Religios. domib. & ibi Doctores communiter. Prout etiam summus Pontifex, cum à jurisdictione Episcopali Ecclesiam aliquam eximit, Censum imponere, & accipere solet, ad percepta libervatis indicium, c. Recepimus. de Privileg. juncto cit. c. de Religios. domib.

Resp. V. Potest Episcopus ex iusta causa Censum non perpetuum, seu temporalem personalem novum ad aliquos annos v. g. vel vitam Beneficiati imponere Ecclesiis, aut Beneficiis. Barbosa de Offic. & potest. Episc. allegat. 85. n. 3. & in c. Prohibemus 7. h. t. n. 3. atque ibi Joan. Andreas n. 1. Abbas in c. Cum

§. I. De Censibus: ubi in specie de Cathedralitico.

6 Censur venissent 9. de Restitu. spoliat. n. 9. Engel h. t. n. 3. Probatur Conclusio ex iis, quæ fusiùs de Pensionibus imponendis Beneficiato diximus Tit. 12. Ut Beneficia Ecclesiastica sine dimittuntur. confer. 9. q. 4. an 87. Vito de Censibus ut sic de Cathedralitico nunc videndum; utpote propriissima ac principalissima Censur species, ab ipso Jure Ecclesie, ut annuatim Episcopo solvatur imposta, prout statim videbimus.

10 Queritur III. Quis sit Cathedraliticum? & à quo, præfertim an etiam à Monasteriis, & Ecclesiis Regularibus solvi debeat? Resp. I. Cathedraliticum de Jure esse duos solidos singulis annis solvendos Episcopo de redditibus Ecclesie in signum subjectionis, nec non in recognitionem & honorem Ecclesie Cathedralis. Barbosa de Offic. & potest. Episc. allegat. 86. n. 4. Fagnanus in c. Conquerente. 16. de Offic. Ordinar. n. 43. atque in re Conquerente. 16. de Offic. Ordinar. ubi dicitur: Cathedraliticum nomine duos solidos venire, & can. Placuit. c. cau. 10. q. 3. ibi: Placuit, ut nullus Episcopus præter honorem Cathedralis sue, id est, duos solidos aliud aliquod per Ecclesiam tollat, & ibi Glossa v. Solidos; per quos duos aureos intelligi docet, arg. l. 2. c. de Sport. Hoc Cathedraliticum ab honore Cathedralis sic dictum, ut cum aliis observat Barbosa lo. cit. Fagnanus lo. cit. n. 44. & alii, arg. cit. can. 1. cau. 10. qu. 3. etiam Synodaticum vocatur, c. Conquerente. 16. de Offic. Ordinar. ubi Synodaticum, seu Cathedraliticum nomine, duos solidos; quia olim in Synodo solvi consueverat, ut benè advertit Barbosa lo. cit. Engel h. t. n. 5. & alii, atque innuit textus c. fin. de Cau. poss. & proprietat.

Resp. II. Cathedraliticum singulis annis solvere de Jure tenentur omnes Ecclesie seculares. Barbosa lo. cit. Valens h. t. n. 2. Engel eod. n. 6. Pirhing h. t. n. 40. cum communi, ac certa aliorum, arg. c. Conquerente. 16. de Offic. Ordinar. & ibi Glossa v. Duos solidos, c. Pastoralis. 7. de Donat. can. 1. c. Inter cetera. 8. cau. 10. q. 3. Ratio est, quia ut dictum, Cathedraliticum datur in signum subjectionis, à qua nulla Ecclesia immunis esse debet, ne Acephala sit, can. Nulla ratione. 8. disp. 93. Quapropter, etsi aliqua Ecclesia plenà libertate gaudeat, tamen ad Cathedraliticum obligatur, ut notat Glossa in c. Pastoralis. h. t. & ibi Innocentius, & Abbas, qui etiam docent, nec posse Episcopum aliquam Ecclesiam liberare à Cathedralitico. Neque est circa Ecclesias seculares aliqua controversia inter Doctores; benè tamen circa Regulares, de quibus sequentes Conclusiones.

12 Resp. III. Regulares non tenentur solvere Cathedraliticum de Monasteriis, & eorum Basilicis, seu Ecclesiis Regularibus, ubi ipsi Divina peragunt, & quæ Monasteriis ipsorum contigunt, seu inmediate pensio ipsa existant. Barbosa lib. 3. Jur. Eccles. univ. cap. 20. a. 2. n. 11. Engel h. t. n. 6. cum communi aliorum, textu claro, can. Inter cetera. 8. cau. 10. qu. 3. ibi: Monasteriorum tamen Basilicis ab hac solutionis pensione sejunctis. Ratio est; quia à lege Diocesana (vi cuius competit Episcopo potestas exigendi jura Episcopalia juxta dicenda infra) sunt exempta. Barbosa lo. cit. Fagnanus lo. cit. & communis aliorum, arg. can. Cum pro unitate. 33. cau. 16. q. 1. c. can. Quam sit. 5. cau. 18. q. 2. c. 1. de Situ Mona. h.

13 Resp. IV. Ecclesie, Beneficia, Capella, & Parochie seculares, quibus Regulares præfunt, Cathedraliticum solvere Episcopo tenentur, etiam si Monasteriis, aut Basilicis eorum pleno jure sint incorporate. Fagnanus in cit. c. Conquerente. 16. de Offic. Ordinar. n. 10. c. n. 43. eoque teste Innocentius. Ancharanus ibid. n. 5. Abbas n. 1. ubi expressè latetur, quòd licet Monasteria non tenentur ad eas, quæ sunt de lege Diocesana, ut Synodaticum, Capella tamen subiecta Mona-

sterio tenentur ad onera, ad quæ tenentur Ecclesie seculares &c. Glossa communiter recepta in c. Inter cetera. 8. cau. 10. q. 3. v. Solutionis. ubi pariter docet, quòd quamvis à Cathedralitico exempta sint Monasteria, & Basilicæ Regularium, non tamen eorundem Capellæ, id est Ecclesie, Beneficia, & Parochie seculares eis incorporate; hæ enim per Capellas Monachorum intelliguntur, ut diximus supra Tit. de Capellis Monach. n. 1. & communiter fidentur Doctores. Probatur autem Conclusio evidenter ex cit. c. Conquerente. de Offic. Ordinar. ubi expressè dicitur, quòd Episcopus jura Episcopalia in Ecclesiis, seu Capellis Monasterii debet habere: inter jura autem hæc ibidem numeratur etiam Cathedraliticum; ergo. Concordat Clem. 1. h. t. Ratio est; quia Capella Monachorum à lege Diocesana nullibi reperitur exempta, sed potius eidem positive subiecta, per Jura citata, & c. fin. de Capellis Monach. atque c. De Monach. 12. de Præbend. Dices, Parochie & Ecclesie Monasteriis incorporate constituant unum corpus cum, suntque membra ipsius; ergo ejusdem gaudent privilegiis. Resp. Transmissio Ant. Disting. Consequens. Gaudent ejusdem privilegiis, quibus gaudere, eas non prohibent Jura, conceditur; quibus gaudere Jura prohibent, uti in præfatis negatur.

Queritur IV. In qua quantitate, & quali moneta, ac quando solvi debeat Cathedraliticum? Item an, & quid circa illud valeat consuetudo, aut præscriptio? Resp. I. Quamvis de Jure quantitas Cathedralitici consistat in duobus solidis per Jura num. 10. citata, & solidus juxta Glossam num. 10. citatam item sit ac aureus, tamen quia valor solidi non idem, sed omninò diversus sit pro diversitate Provinciarum, ut latè ostendit Covarruvias lib. Variar. Resolut. cap. 11. n. 3. & de Veter. Numis. cap. 6. nu. 5. Gutierrez de Juram. confirm. p. 1. cap. 7. Molina de Justis. & Jur. Disp. 27. n. 8. & alii. Hinc circa quantitatem taxæ attendenda est rationalis consuetudo cujusvis Diocesis. Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 86. n. 44. & alii arg. c. Olim. 20. h. t. Ratio est; quia cum quantitas Cathedralitici sit solum determinata à Jure humano Ecclesiastico, nique valebit contra eam rationalis consuetudo, arg. c. fin. de Consuetud. Præfertim cum tam in majori quam minori quantitate Cathedralitici exhiberi valeat signum subjectionis, ut benè advertit Abbas in c. 7. h. t. n. 3. arg. c. 2. h. t.

In quali autem moneta solvendum sit, desumè ex iis dictis supra Tit. 23. de Solut. §. 2. nisi in hoc aliud habeat Diocesis consuetudo, arg. cit. c. Olim. 20. h. t. & c. fin. de Consuetud.

Porò circa tempus solvi consueverit Cathedraliticum per dicta num. 10. tamen hodie circa tempus, quo singulis annis solvi debet, rursus statum consuetudini loci. In Diocesi hæc Frisingensi singulis annis solvitur, quando celebratur annuum Capitulum Decanale, & quidem in quantitate duorum aureorum; quos etiam solvunt Religiosi de Parochiis sibi incorporate.

Resp. II. Licet juxta dicta num. 14. quantitas Cathedralitici per consuetudinem augeri possit & minui, tamen consuetudine, aut præscriptione omninò tolli non potest obligatio Cathedralitici. Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 86. n. 44. & lib. 3. Jur. Eccles. univ. cap. 2. a. n. 5. Plafec. p. 2. cap. 2. a. n. 17. Abbas in c. Pastoralis. 7. de Donat. n. 7. & alii. Ratio est; quia Cathedraliticum principaliter datur in honorem Cathedralis, & signum subjectionis, per dicta num. 10. contra subjectionem autem hujusmodi, saltem ex toto præscriptio non currit, nec consuetudo, c. 12. de Præscript. & arg. can. Nulla ratione. 8. disp. 93. ne quis Acephalus, id est, sine capite sit, ut ibidem dicitur.

dicitur; nec liceat capta a membris discedere, ut dicitur c. 12. de Prescrip. ergo nec contra principale signum talis subiectionis, quale est Cathedralicum. Limitat tamen hoc Barbosa loc. cit. in casu, quo concurrat tempus immemorialis, quia consuetudo immemorialis æquivaleret privilegio, c. Super Quidam, de V. S.

17 Nec obstant e. Auditis. c. de Quarta. de Prescrip. & c. Pastoralis. de Privileg. in 6. ubi aperte habetur, quod etiam contra obedientiam, & subiectionem Superioris detur prescriptio, quod idem Lib. 2. Tit. 26. à num. 29. & seqq. tradi videtur. Nam contra est, quod per citata Jura, & tradita à nobis supra, tantum sequatur, posse in aliquibus fieri prescriptionem contra subiectionem, ac circa jura Episcopalia, non autem ex toto, prout loc. cit. num. 55. notanter limitavimus. Et quoniam Cathedralicum principaliter videtur ac continuum subiectionis signum, prescribi contra illud posse non videtur. Fatendum tamen sententiam contrariam, quam tenet Engel h. t. num. 7. suã probabilitate non carere.

§. II.

De Exactionibus Ecclesiasticis: principaliter de Subsidio Charitativo, & Subsidio ad Seminarium.

SUMMARIUM

- 18 Exactio Ecclesiastica, quid?
- 19 Subsidium Charitativum, quid?
- 20 Possunt illud in sua Diocesi exigere Episcopi.
- 21 Et Nolentem dare, cogere.
- 22 Non item Prælati Episcopo inferiores, nisi privilegio, vel consuetudine muniantur.
- 23 Possunt tamen Administratores, seu Coadjutores, Capitulum Sede vacante, & Generales Ordinum.
- 24 Ad hoc Subsidium tenentur soli Clerici Beneficiarii.
- 25 Et hi omnes, etiam Canonici.
- 26 Exceptis pauperibus.
- 27 Monasteria quoque, & eorum Ecclesie Regulares sunt exemptæ; non item Ecclesie seculares eisdem incorporata. Et num. seq.
- 28 Subsidium Charitativum est de lege Diocæsa. Ibid.
- 29 Ut ritè exigatur, requiritur legitima causa.
- 30 Quenam talis censetur?
- 31 Si Episcopo redditus sufficientes, non potest exigere Subsidium Charitativum.
- 32 Quantitas Subsidii determinatur arbitrio Episcopi debet esse moderata.
- 33 Potest exigi septies.
- 34 Cum consensu tamen, & consilio Capituli.
- 35 Modus exigendi Subsidium Charitativum.
- 36 Existente dubio, & controversia inter Episcopum & Clerum circa Subsidium, quid Juris?
- 37 Quid Juris de Subsidio ad Seminarium? est partim Censuræ, partim Exactionis.

18 Notandum prius quamvis Exactionis nomine universaliter veniant tributa, sturæ, collectæ, pedagia, quidagæ, vectigalia, & quidquid supremi Principes, aut Superiores sive Ecclesiastici, sive seculares à subditis præsertim extraordinariè exigunt, c. Cum Apostolus. 6. §. 1. & c. penult. h. t. Nihilominus ad propositum præcisè sumitur pro Subsidio extraordinario, quod penditur Prælati Ecclesiastici iusta de causa id exigentibus: quod communiter vocatur Subsidium Charitativum, del quo principaliter

19 Queritur I. Quid sit Subsidium Charitativum, quinam, & à quibus illud exigere possint? Resp. I. Subsidium Charitativum est Exactio seu pensio extraordinaria, quam Prælati Ecclesiastici, præsertim

Episcopi ex manifesta & rationabili causa à suis subditis in subsidium exigunt. Ita in re communis, atque desumitur ex cit. c. Cum Apostolus. 6. §. 1. h. t. Dicitur Exactio, seu pensio loco generis. Dicitur Extraordinaria, in quo differt à Cathedralico, quod ordinariè singulis annis debetur. Dicitur à Prælati Ecclesiastici, quia non agimus hic de Exactionibus, quas Principes Laici faciunt. Additur præsertim Episcopi, quia ut præbit, post Papam his solis de Jure regulariter competit. Dicitur ex rationabili & manifesta causa: hæc enim necessariò requiritur per dicenda infra num. 29. & seqq.

Resp. II. Præter Summam Pontificem (de quo nullus dubitat) Subsidium Charitativum in suis Diocæsis exigere possunt omnes Episcopi, ac iis superiores, ut Archiepiscopi, Patriarchæ, Primates &c. Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 87. n. 7. Azorius p. 2. lib. 2. cap. 14. q. 5. Abbas in c. Cum Apostolus. 6. h. t. n. 5. cum communiorum, arg. c. Conquerente. 16. ad finem, de Offic. Ordinar. & c. Cum Apostolus. 6. h. t. ubi, postquam Papa prohibuit, ne Episcopi gravarent subditos Talliis (id est Collectis, & Exactionibus) addidit, Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt, ut si manifesta, & rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatam ab eis valeant auxilium postulare. Dicitur autem notanter in suis Diocæsis, quia fatentur Doctores satis communiter, ut Barbosa loc. cit. n. 9. Azorius loc. cit. §. Sed dubia quæstionis: Bellencin. in Tract. de Subsid. Charitat. qu. 1. Pirhing h. t. n. 54. & alii, quod Primates, Patriarchæ, & Archiepiscopi extra propriam Diocæsim in suo Archiepiscopatu, seu Provincia hujusmodi Subsidium exigere non valeant; nisi id ex consuetudine competat.

Cæterum præsertim in Diocesi propria potestas exigendi Subsidium Charitativum ita competit, ut si Clerici dare reculerent, compelli & cogi etiam per Censuras possent à proprio Episcopo, ut contra nonnullos allegatos ab Archidiacono in can. Cavendum. 10. q. 3. docet Azorius loc. cit. n. 3. ubi allegat Rom. Decis. 123. in novis. Joan. Andreas in c. Cum Apostolus. 6. h. t. n. 7. & ibid. Innocentius, Butr. Abbas, & Hostiensis, Bellencin. loc. cit. qu. 15. Layman lib. 2. tr. 3. p. 1. cap. 3. un. de Subsidio Charitat. n. 9. & alii, per Jura n. præced. citata, & Clem. Frequens. de Excess. Prælat. Nec obstat, quod in citatis num. præced. Juribus aperte caveatur, ut cum charitate exigatur, & propterea dicitur Subsidium Charitativum; ergo ad illud nemo potest cogi. Respondetur enim, hoc Subsidium non idèd dici Charitativum, quasi subditi pro arbitrato illud dare ut negare possent; sed quia proficitur ex charitatis & unionis vinculo, quod inter Episcopum & Clerum intercedit. Unde licet ab initio cum charitate peti debeat; tamen si petitioni charitativæ Clerici non deferunt, Exactione coactiva compelli possunt; quia ubi nihil proficit charitas, adhibenda est potestas arg. can. Licet. 6. dist. 45. Sic utiam divites per Judicem tempore necessitatis ad dandam elemosinam cogi possint, non obstante, quod obligatio elemosinæ regulariter ex sola charitate oriatur.

Resp. III. Prælati Ecclesiastici reliqui Episcopo inferiores non possunt à subditis petere Subsidium Charitativum, nisi muniantur consuetudine, aut privilegio. Abbas in c. Cum Apostolus. 6. h. t. n. 6. Azorius loc. cit. q. 5. §. Sed quid dicendum. Bellencin. loc. cit. q. 4. & 5. Barbosa loc. cit. n. 17. Bellet. Disquisit. Cleric. p. 1. de Clerico debitore. §. 12. n. 33. & communis aliorum. Ratio est; quia in nullo Jure eis concessum invenitur: imò expressè reperitur prohibendum, cit. c. Cum Apostolus. ubi postquam Episcopis Exactio Subsidii Charitativi fuit concessa, subjungitur: Archidiaconi verò, vel Decani nullas Exactiones, seu Tallias

Tallias in Presbyteros, seu Clericos exercere presumant. Limitatur tamen hæc conclusio I. In Administratore, seu Coadjutoribus; hi enim, si per Papam dantur Episcopo, vel Ecclesie vacanti, æquè ac Episcopus petere possunt dictum Subsidium. Barbosa loc. cit. n. 10. Bellencin. loc. cit. q. 8. & alii, arg. c. Is cui 42. de Elect. in 6. Limitatur II. In capitulo Sede vacante, utpote qui eadem potestas competit. Barbosa loc. cit. n. 13. Bellencin. loc. cit. q. 7. Bellet. loc. cit. n. 38. Azorius loc. cit. Pirhing. h. t. n. 54. & alii, arg. c. Cupientes. §. Ad hæc. de Elect. in 6. & ibi Glossa v. Aliunde. Limitatur III. In Generali totius Ordinis, nam & hic à Monasteriis sui Ordinis Charitativum Subsidium petere potest, si aliunde necessaria non habet pro gubernatione Ordinis. Barbosa loc. cit. n. 17. Bellencin. loc. cit. q. 5. Pirhing loc. cit. Ratio est; quia agitur de bono communi, & subditorum salute, can. Mirramur. dist. 61.

24 Resp. IV. Subsidium Charitativum non nisi à Clericis Beneficiatis peti potest; ut proin Clerici Beneficio carentes, & Laici illud dare minimè teneantur. Barbosa loc. cit. n. 39. Engel h. t. n. 10. Layman loc. cit. n. 11. Bellencin. loc. cit. n. 37. Covarruvias plures citans, Pirhing h. t. n. 56. Sannig h. t. cap. 2. n. 7. & communis, arg. c. Conquerente. 16. de Offic. Ordinar. Ratio est; quia dictum Subsidium est omni mixtum ad hærens personis Ecclesiasticis in ordine ad Ecclesiam, & Beneficia, ex quibus redditus percipiunt; uti post Gonnium de Charitat. Subsid. bene advertit Layman loc. cit. arg. cit. c. Conquerente. ibi: Ab Ecclesiis. Nec obstat, quod c. Cum Apostolus, h. t. universaliter concedatur Episcopo à subditis exigere dictum Subsidium, quorum nomine etiam Laici veniunt, ac reliqui Clerici. Resp. enim ipsi per subditos intelligi solos Clericos Beneficiatos, prout communiter advertunt Doctores, ne dictum c. disorder cum cit. c. Conquerente. de Offic. Ordinar. & can. Quia cognovimus. 6. cau. 10. q. 3.

25 Cæterum tenentur ad præfatum Subsidium non solum Clerici inferiores simplices, sed etiam Canonici Cathedrales, & quidem fortius quam cæteri, cum dignius sit, ut membra subventionis Capiti suo, quam extranei, arg. c. Cum non liceat. 12. de Prescrip. & c. Cum requisisti de Testament. Bellencin. loc. cit. q. 27. Gonn. q. 38. Monet. de Distrib. quot. q. 9. n. 20. Pirhing h. t. n. 56. Layman loc. cit. n. 12. & communis aliorum, arg. Extravag. 1. §. Præmissis. h. t. ibi: Eorumque Capitulis.

26 Limitatur tamen Conclusio in Clericis pauperibus, Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 87. nu. 49. Azorius p. 2. lib. 9. cap. 14. q. 6. Bellencin. de Charitat. Subsid. qu. 10. Bellet. Disquisit. Cleric. p. 1. de Clerico debitore. §. 12. n. 19. & seq. Hostiensis, Imola, & Butr. in c. Conquerente de Offic. Ordinar. arg. c. 4. h. t. Ratio est, ne nimium & ultra facultates cum vicibus detrimento graventur, arg. c. 17. h. t. Censentur autem juxta DD. Clerici Beneficiati pauperes, qui præcisè necessariam sustentationem, & nil ultra habent ex redditibus Beneficii.

27 Gravis controversia est inter Doctores, an ad Subsidium Charitativum teneantur etiam Monasteria, & Ecclesie Regulares? Joan. Andreas siquidem, Butr. & Imola in c. Dilectus. de Offic. Ordinar. Barbosa de Offic. & potest. Episcop. Allegat. 87. nu. 45. Bellencin. loc. cit. q. 20. Gonn. loc. cit. q. 21. Engel h. t. n. 10. Pirhing eod. n. 56. Sannig loc. cit. cum communiori aliorum negativam tenent, qui omnes hoc principali moventur fundamento, videlicet, quia Monasteria, & Regulares Basilicæ exemptæ sunt à lege Diocæsa. per Jura citata supra n. 12. atqui Subsidium Charitativum debetur lege Diocæsa. ergo. Contra Belletus Disquisit. Cleric. p. 1. de Clerico debitore. §. 12. n. 18. Fiasc. p. 2. cap. 2. a. 2. n. 12. Abbas in c. Dilectus de Offic. Ordinar. & alii cum Glossa in Clem. 1. de Excess. Prælat. v. Extirp. Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

guendo, affirmativam docent. Verùm, quia negativam Lib. 1. Tit. 31. v. 4. u. 104. jam tenuimus, & in eodem §. à n. 90. principale fundamentum (quod infringere conatur Adversarij) videlicet Subsidium Charitativum esse de lege Diocæsa. ad quam Monasteria non tenentur, omninò subfultere, fuisse demonstravimus, eidem etiam hic adhaeremus.

Nihilominus sicut ibidem; ita & hic quoque cum DD. n. 27. citatis, & communissimè aliorum dicimus, quod Regulares ratione Capellatum suarum, id est Ecclesiarum secularium, quibus præsent, teneantur ad Subsidium Charitativum, sicut Clerici Beneficiati. Ratio est; quia Capelle Monachorum, seu Regularium à lege Diocæsa. non sunt exemptæ, uti eorum Monasteria, & Ecclesie Regulares per dicta n. 13.

Queritur II. An, & qualis requiratur, ac sufficiat causa ad exigendum Subsidium Charitativum? Resp. I. Ad hoc, ut Episcopus, vel alius ritè exigat Subsidium Charitativum, debet esse manifesta, & rationabilis causa necessitatis. Omnes, ob clara Jura c. Conquerente. 16. de Offic. Jud. Ord. ibi: Si manifesta, & rationabilis causa extiterit, quod idem dicitur, c. Cum Apostolus. 6. §. Prohibemus. h. t. ibi: Sustinemus pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt, ut si manifesta, & rationabilis causa extiterit.

Resp. II. Quamvis universalis Regula tradi non possit, quænam ad præfens sit, & dici queat rationabilis causa, cum in Jure nihil certum definiatur, sunt tamen aliquæ causæ in specie, quæ communiter à Doctoribus reputantur pro rationabilibus, & consequenter si manifestæ sunt, pro sufficientibus. Patet inductione. I. Enim rationabilis causa exigendi Subsidium Charitativum, censetur esse expensæ necessitatis in promotione Episcopi pro ejusdem Confirmatione, Consecratione, & annatis in Curia Romana solvendis, si aliis haberi non possint, nisi Ecclesia novis debitis gravetur. Bellet. Disquisit. Cleric. p. 1. de Clerico debitore. §. 12. n. 4. Bellencin. de Charitativo Subsidio. q. 16. Cardinalis in c. Cum Apostolus. h. t. q. 7. Engel h. t. n. 9. ubi ait, id esse declaratum à S. Congregatione, Azorius p. 2. lib. 9. cap. 14. q. 7. §. Dubia quæstionis, citans N. Antonium p. 3. Tit. 20. cap. 2. §. 10. arg. c. Cupientes. §. Ad hæc. & §. Si verò, de Elect. in 6. & ibi Glossa v. Aliunde. Ratio est; quia agitur de necessitate boni communis, quæ utique causam rationabilem præstat.

II. Quando multa & magna adsunt debita, quæ Episcopus, vel Antecessores ejus pro bono communi aut necessitate Ecclesie contraxerunt; pro quorum solutione exigi potest Subsidium Charitativum Bellencin. loc. cit. Barbosa de Offic. & potest. Episcop. Allegat. 87. n. 29. Engel loc. cit. Butr. & Imola in c. Conquerente. de Offic. Ordinar.

III. Si Episcopus visitat limina Apostolorum, juxta obligationem, c. Ego. de Jurisjur.

IV. Si facturus est iter ad Concilium Generale; vel ad Papam, Imperatorem, vel Regem ob Diocæsis, aut totius Ecclesie Generalis bonum commune. Doctores n. 30. citati, atque Menochius de Arbitr. Judic. casu 178.

V. Si Episcopus fecit, vel facere debet magnas expensas pro adventu Imperatoris, Regis, Magni Principis. Menochius loc. cit. n. 11. Barbosa loc. cit. n. 35. Azorius loc. cit. q. 7. Bellencin. loc. cit. q. 22. præsertim si ab eo Regalia habet, vel alias bonum commune suadet, ut talis hospes benè habeatur.

VI. Universaliter quando Episcopus fecit, vel facere debet magnas expensas pro bono communi Diocæsis, vel totius Ecclesie Generalis; ut si sumptuosas habet lites, vel emit rem magni momenti pro bono communi suæ Ecclesie &c. Barbosa loc. cit. Azorius loc. cit. Bellet. loc. cit. & alii. Ratio universalis est; quia bonum commune semper censetur præbere

rationabilem & sufficientem causam exigendi Subsidium Charitativum per Jura num. 29. citata, praesertim, cum bono communi semper cedere debeat privatum, per vulgaria.

31 Notandum tamen cum Menochio de Arbitr. Jud. cas. 178. n. 23. Bellet. loc. cit. §. 12. n. 6. Cardinal. in Clem. 1. q. 1. & novissimi Jacobus Pignat. Consult. 142. & communi aliorum, praefatas causas esse solummodo sufficientes in casu, quando Episcopi redditus ad satisfaciendum eis non sufficiunt; si enim Episcopi redditus in casibus privatis sufficienti abque Subsidiario Charitativo, illud exigere planè non potest, cum deficiat necessitatis ratio, utpote conditio necessarii requisita, c. Cum Apostolus, 6. h. 1. §. Prohibemus, Nisi forsitan in uno, vel altero casu adesse consuetudo legitime praescripta, extantibus etiam sufficientibus redditibus, Charitativum Subsidium exigendi; qualis in quibusdam locis est, quod pro expensis Electionis, Confirmationis, Consecrationis, Annatarum, semel saltem exigatur Subsidium Charitativum, vulgò die Insul-Steur, quod etiam in Concordatis Germaniae Rdnos Ordinarios inter, & Guelmum Bavariae Ducem erectis approbatur, & universaliter conceditur, quod Episcopi Subsidiaria Charitativa, & alia Jura Episcopalia, exigere liberè valeant; dummodò non fiat insolita Exactio, uti videre est art. 1. dictorum Concordatorum.

32 Quæritur III. In qua quantitate? qualiter? & quoties exigi valeat Subsidium Charitativum? Resp. I. Quantitatem in Jure non esse definitam, adeoque determinari posse & debere arbitrio Episcopi juxta exigentiam circumstantiarum necessitatis expensarum, reddituum &c. Menochius de Arbitr. Judic. casu 179. n. 4. Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 87. n. 37. Bellet. loc. cit. n. 14. Nivarrus Consult. 5. h. 1. Jacob. Pignatell. loc. cit. n. 12. cum communi, arg. l. In fundo. 28. ff. de Rei vendic. Debet tamen Episcopus semper observare universalem Regulam, quod non nisi moderatum auxiliium, Ratio ibidem subiungitur illis verbis: Cum enim dicit Apostolus: non debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis; multum longè à paternitate videtur, si Praepositi subsidia suis graves euisant, quos in cunctis necessitatibus Pastoris debent morè favore.

33 Resp. II. Non tantum semel, sed etiam saepius, & quidem toties, quoties causa manifesta, & rationabilis, juxta praedicta existit, & redditus non sufficiunt, potest Episcopus à Clericis Beneficiatis moderatum juxta qualitatem circumstantiarum exigere Subsidium Charitativum. Barbosa loc. cit. n. 35. Bellet. loc. cit. n. 5. Abbas in c. Cum Apostolus, h. 1. n. 2. Azorius loc. cit. q. 8. Bellenc. q. 23. cum communi. Textu claro cit. c. Cum Apostolus, h. 1. ibi: Pro necessitatibus, quae aliquoties superveniunt.

34 Resp. III. Ad hoc, ut Episcopus ritè exigat Subsidium Charitativum, debet requirere consensum Capituli, vel saltem adhibere consilium exposita illi causa petendi. Bellet. loc. cit. n. 8. Joan. Andreas in c. Cum Apostolus, h. 1. n. 7. & ibi Butr. Innocentius, & Hostiensis Jacob Pignat. loc. cit. n. 6. & 8. Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 87. n. 26. & alii, c. Novum. 4. & c. Quanto. 5. de His, quae sunt à Prælat.

35 Resp. IV. Circa modum illud communiter tradunt Doctores, quod Episcopus Clero, à quo Subsidium exigat, debeat proponere causam petendi, eaque exposita primiti cum charitate & humanitate moderatam respectu necessitatis auxiliium postulare, allegando & hortando, quòd cum cuilibet proximo in necessitate sit subveniendum; multò magis eis, utpote Capiti eorum &c. subvenire debeant. Vide Bell. loc. cit. Barbosa loc. cit. & Hostiens. in c. Cum Apostolus, h. 1. n. 20. ubi dat formam petendi Subsidium Charitativum. Quod

si charitativa petitione nihil efficit, potest, causà rationabili necessitate manifestà existente, Clerum etiam Censuris, aut aliis mediis spiritualibus compellere per dicta n. 21.

Quæritur IV. Quid Juris? si dubium & controversia est, an causa adit sufficienti, vel quantitas petita sit nimia ac excessiva? Resp. In hoc casu recurrendum esse ad Superiorem, vel consensu partium eligendos Arbitros. Azorius loc. cit. q. 4. §. In dubium vocatur. Bellenc. loc. cit. q. 17. Piching h. 1. n. 55. Layman loc. cit. n. 9. Barbosa loc. cit. n. 28. cum Glossa in c. Cum Apostolus, 6. h. 1. v. Rationabilis. arg. can. Si Clericus qd. cau. 11. q. 1. Ratio est; quia tunc totum Episcopus ipse compellere potest renitentes dare Subsidium, quando causa manifesta est; arg. c. Conquerentem, de Offic. Ordin. & c. Cum Apostolus, h. 1. non item si dubia vel controversa, Barbosa loc. cit. & Doctores citati.

Quæritur V. Quid Juris de Subsidio ad Seminarium contribuendo? Et an Censur, vel Exactio dici debeat? Resp. I. Sess. 23. de Reform. cap. 18. Concilium Tridentinum præcipit, ut in quavis Diocesi unum saltem, vel plura erigantur Seminarium in quibus Juvenes ad statum Clericalem aspirantes, in moribus, litteris, ac disciplina Ecclesiastica, curâ, & administratione Sacramentorum, atque omni eo, quod animarum Pastorem, bonumque Sacerdotem decet, & ornata perfectè instruantur, & à teneris annis imbuantur: ut sic Diocesis semper idoneos & optatos habeat, quos cum animarum sacro, consolatione, ac dedicatione Diocesanorum assumere possit, & collocare in vinea Domini. Quoniam verò hujusmodi Seminarium non modicas requirit expensas, ulterius ordinat, ac præcipit Concilium, ut ad has concurrant, & contribuant omnia, & singula Beneficia totius Diocesis, qualicumque illa sint: item omnia ac singula non Mendicantiâ Monasteria, & pia loca quantumvis aliâ exempta (solis exceptis), in quibus Seminarium Discentium, & Docentium ad commune Ecclesie bonum actu habetur; hæc enim non nisi de redditibus ipsorum Seminarium superfluis contribuere tenentur) quorum singula non tantum semel, sed singulis annis tantum portionem dare tenentur, quantum Episcopus cum consilio duorum de Capitulo determinaverit; & quidem tantum donec Seminarium sufficiens sit fundatum, ac provisum; tunc enim vel ex parte, vel ex toto cessare debent portiones prius dari solite. Videatur cit. c. 18. Sess. 23. de Reform. quod sanè dignum lectu est. Scribit super hoc bene Jacob. Pignatell. Tom. 1. Consult. 223. Zorola v. Seminarium, & Barbosa in Concilio Tridentinum loc. cit.

Resp. II. Praefatum Subsidium seu portiones ad Seminarium faciendæ, partim Censur partim Exactiones dici possunt: Censur quidem quatenus ordinariæ sunt, annique singulis in certa quantitate dari debent: Exactiones verò, quia non continuæ, sed tam diu tantum, donec Seminarium aliunde habeat, unde sustentetur, durant; atque hoc desumitur ex natura utriusque tam Censur nempe, quam Exactionis, de quibus vide num. 2. 3. & 18.

§. III.

De Exactionibus, Tributis, Gabellis, Vectigalibus, Pedagibus, Quidagiis, Tallis &c. Laicalibus.

S U M M A R I U M.

- 38 Tributum quid? & quotuplex? Exactio, Tallia, quid? Ibid.
- 39 Vectigal, Pedagogium, Quidagium, Gabella, quid?
- 40 Praefata imponere possunt soli Principes.
- 41 Sed non nisi ex justa causa. Et quae ista?
- 42 Peccata Principum circa hæc.

43 Quando

43 Quando saltem probabiliter constat, Tributis, Exactionibus, Vectigalia &c. esse injustis, non obligant in conscientia.

44 Item dic, si dubium est, de eorum justitia.

45 Exactiones, Vectigalia, Tributa &c. etiam nova justè imposita obligant in conscientia; & illa defraudans tenetur ad restitutionem.

46 Solvuntur objectiones. Et num. seq.

48 Ponuntur doctrina præctica.

Quamvis præles Titulus principaliter tantum agat de Exactionibus, & aliis oneribus Ecclesiasticis, quibus gravari possunt Clerici. Nihilominus, quia ibidem incidentaliter saltem tanguntur Exactiones, quae imponuntur Laicis, uti patet ex c. Innovamus. 10. h. 1. de iis quoque breviter saltem hic merito agitur, praesertim cum sit materia in praxi frequenter occurrens. Pro meliori autem hujus materie intelligentia placuit præmittere explicationem terminorum. Hinc

38 Notandum I. Nominè Tributis, si omnino latè sumitur, venire omne illud, quod quacunq; ratione Principi, vel Republicae ad onera communia sustentanda penititur, ac solvitur, quo sensu etiam Tributa sunt Vectigalia, Pedagogia, Quidagia &c. At verò Tributum strictè sumptum est pensio, quae subditis imponitur Principi solvenda ad hoc, ut statum suum tueri, & communibus utilitatibus ac necessitatibus congruè prospicere possit, Germanicè Steur. Dividitur in ordinarium, & extraordinarium. Ordinarium Steur est, quod singulis annis ad dictum finem ex lege nova, vel antiqua in certa quantitate solvitur. Extraordinarium extraordinarium Steur, oder Anlag, est, quod non singulis anni, nec aliis certis ac determinatis temporibus, sed ingruentibus extraordinariis necessitatibus ex mandato Principis juxta determinationem ejusdem à Subditis solvi debet; prout plerumque fit tempore belli. Hujusmodi extraordinaria Tributis aliâ etiam vocantur, Exactiones, Tallia, seu Talea, ita ut horum omnium nomine aliud non significetur, quam extraordinaria pensio seu Tributum ein Extra-Steur, oder Anlag, quod rursus subdividitur in duo membra, unum est, quod singulis personis, seu Capitibus nullâ habitâ ratione facultatum imponitur, & Capitatio vocari solet ein Kopf Steur, cujus impositio tantè modica debet esse, cum à singulis etiam minimè fortunæ, famulis & famulibus præstatur. Alterum verò, quod secundum æstimationem bonorum, quae quis possidet, taxatur & imponitur arg. l. 3. ff. de Censibus, vide Lexicon Calvini v. Tributum. v. Tallia. v. Exactio. item Layman lib. 3. tr. 3. p. 1. cap. 3. n. 1.

39 Notandum II. Vectigalia, Pedagogia, Quidagia (quae hodie promiscuè sumuntur) maternâ linguâ Maut und Zoll, esse illud, quod transientes quivis in certis locis à Principe deputatis dare debent pro rebus, quae vehuntur, vel portantur; vel etiam pro ipsis personis, quae transunt. Similia Pedagogia, & Vectigalia plerumque exiguntur & dantur pro consecutione ac conservacione pontium & viarum; quamvis etiam hæc causâ cessante exigantur pro interesse Principis onera publica portantis: uti videmus hodie, quod etiam in navi per aquam vehentes ubi nihil destruitur, vel reparatur, Pedagogia & Vectigalia dari debeant. Porro, quamvis, ut dictum, Vectigalia, Pedagogia, Quidagia hodie pro eodem, ac promiscuè sumantur; nihilominus propriè loquendo, Quidagium est illud, quod transientes dant pro salarandis illis hominibus, qui securè deducunt per loca, vel alias loci securitatem præstant. Glossa in c. Quamquam, in principio, h. 1. in 6. quod idem, strictè loquendo significat Pedagogium, prout vult Schardius v. Pedagogium addens ex Baldo. Dominum terræ Pedagogia vel Quidagia accipi Reiffenschul Jus Can. Tom. III.

pientem teneri ad reparandam damnum, si transientes à raptoribus, vel aliis vias instantibus, damnum patiantur. Gabella secundum plures, idem est ac Vectigal ac Pedagogium: Layman loc. cit. & Summite communiter: alii verò dicunt, Gabellam esse illud Tributi genus, quod datur Principi ob venditas res sive mobiles, sive immobiles, Germanicè Aufschlag Accis. Præmissâ terminorum explicatione.

43 Quæritur I. Quis possit imponere, & exigere Tributa, Exactiones, Vectigalia, &c. Resp. Soli Imperatores, Reges, & alii Principes in temporalibus superiori non agnoscentes, exigere & imponere possunt Tributa, Exactiones, & Vectigalia; ut proin alii inferiores prædictis, hanc potestatem non habeant, nisi eidem vel ex speciali concessione, vel privilegio Principis, vel ex antiqua consuetudine jam præscriptâ competat. Ita Communis ac certa tam Theologorum, quam Canonistarum, arg. c. Innovamus. 10. h. 1. ubi univèrsaliter omnibus sub pena Excommunicationis strictissime prohibetur, ne nova Pedagogia, vel Exactiones, sine autoritate & consensu Principum, & Regum statuere aliquo modo præsumant. Eadem poena statuitur transgressoribus in Bulla Coene.

44 Quæritur II. An semper, & pro libitu supremi Principis imponere possint nova Tributa, Exactiones, Vectigalia? Resp. Eos non semper, ac pro libitu, sed tunc solum posse, quando adest justa causa, servandò etiam debitum modum. Rursus Communis apud Layman lib. 3. tr. 3. p. 1. c. 3. nu. 2. & 3. Sporer tr. 5. in 7. & 10. Præcept. Decalogi. c. 5. sect. 6. n. 145. Lessius lib. 2. cap. 33. dub. 1. Molina Disp. 666. qui cum aliis Doctoribus bene notant, quòd Tributum vel Exactio nova, vel Vectigal etiam ex justa causa impositum, diutius continuare Princeps non posse, ac quamdiu illa justa causa durat; quâ cessante Tributum cessare debet, nisi forsitan alia consimilis causa loco prioris subsisteret. Responsum confirmat etiam Bulla Coenæ, §. 5. sic sonans: Item Excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris suis nova Pedagogia, seu Gabellas, præterquam in casibus sibi à Jure, seu speciali Sedis Apostolicæ licentiâ permittis imponunt, vel augent. Causa autem iustæ Tributa, & nova Vectigalia imponendi vel augendi inter alias sunt sequentes. I. Principis detens sustentatio considerato ejusdem statu, dignitate, & meritis in Republicam. II. Magna utilitas Republicae. III. Necessitas communis Republicae; quia contingit tempore belli. IV. Expunctio debitorum pro communi utilitate seu necessitate Republicae contractorum &c. Layman loc. cit. n. 2. & alii Doctores numer. præced. citati, qui plures alias allegant, simulque communiter docent, quòd si necessitas, vel causa similis sit perpetua, perpetuum quoque moderatum Tributum, vel Vectigal imponi queat. Porro causa debet verè subsistere, & non ficta esse; quando enim Principes ob nimium luxum, pompam excessivam, ædificia superflua, immoderatas donationes &c. defectum aerarii patiuntur, & propterea ad Tributa, Vectigalia ac similes alias Exactiones deveniunt, etiam necessitas publica pro forma assumatur, rō ipsâ tamen similis Exactio fraus est, & rapina, pauperumque oppressio, prout zelose scribit Navarrus lib. 3. c. 1. n. 255. Dixi in responso, servandò modum debitum; videlicet, ne plus exigitur, quam causa publica exigit: item ne ad alium finem, quam causæ publicæ usum applicetur. Ex quo cum communi ac certa Doctorum.

45 Colliges, principes non tantum gravissimè peccare, sed etiam ipso facto Excommunicationi subiacere, ac insuper ad restitutionem teneri. I. Quoties sine justa causa publica nova Tributa, Vectigalia, Gabellas, vel alias Exactiones, qualitercumque eas baptizant, imponunt subditis. II. Si plus exigunt, quam causa ipsa requirit. III. Si causâ justâ cessante

M m 2 conti

continuant, nisi nova emergat. IV. Si antiqua Tributa, aut Vectigalia augent absque justa causa. V. Si antiqua, & extraordinaria Tributa, aut Vectigalia per se jam essent sufficientia ad causam, vel necessitatem presentem tollendam. Peccant etiam VI. Si nimis, & excessivis luxu, pompâ, lusu, conviviis, donationibus, recreationibus, ædificiis &c. omnino exhauriant æraria, vel etiam debitis Cameram gravent, ut quavis veniente necessitate cogantur statim indicere nova Tributa, Vectigalia, Gabellas, & id genus Exactionum, cum aliis antiqua Tributa & ærarium ad tollendas similes necessitates, vel omnino sufficientia fuissent, vel certe cum magno sublevamine pauperum multum contribuere potuissent. Et in hoc habent, quod multum attendant Consilarii, & Confessarii Principum, ne aliis vel muti canes, vel adolantes politici, vel displicere timentes, & se & Principes in æternam perdant, simulque miseris subditos plurimos, in se graves oneribus & Exactionibus emungant. Certe severè scribunt de hac materia cuncti Doctores.

43 Queritur III. An Tributa, Exactiones, Gabellæ, & Vectigalia imposita obligent in conscientia, ita ut defraudantes peccent graviter, & ad restitutionem teneantur? Quæstio hæc quotidiana, summe practica, maxime conscientiosa, & soluta admodum difficilis est. Resp. I. Quando certò, aut satis probabiliter constat, Tributa, Exactiones &c. ex toto, vel ex parte injustè esse imposita, puta, quia vel sine justa causa, vel in majori quantitate exiguntur, quam causæ necessitas requirit, vel imponuntur sub prætextu justæ causæ, & interim ad usus necessarios aut privatos applicantur, in conscientia non obligant; potest proinde ea vel ex toto, vel ex parte non tantum tuta conscientia à subterfugere, & defraudare, sed insuper occultâ compensatione uti, casu quo in foro externo, uti ordinariè fit, ad dandum cogeretur. Ita sentit Layman lib. 3. tr. 7. p. 1. c. 3. n. 5. Sylvester. §. Gabellæ. 3. q. 3. & 14. Molina Disp. 674. Sporer tr. 5. in 7. & 10. Præceptum Decalogi. numer. 152. dicens, in pro certo tenere omnes. Ratio in promptu est; quia nemo tenetur dare id, quod ab eo injustè petitur, per vulgaria, & si eadem vel auferatur, vel is ad dandum quovis modo cogatur, occultâ compensatione indemnem se facere potest, juxta dicta Tit. XVIIII. de Locato & Conducto.

44 Resp. II. Quando est dubium, sive positivam ratione pro & contra stante, sive negativam de justitia Tributi, Gabellæ, seu Vectigalium novorum, non datur in conscientia obligatio ea solvendi. Ita communior, & verior, ac in praxi tuta sententia, quam tenet Lugo de Just. & Jur. Disp. 36. sect. 6. Sanchez lib. 2. consil. c. 4. dub. 6. Azorius p. 3. c. 22. q. 7. Molina Disp. 674. n. 6. & 9. Sporer loc. cit. n. 154. Sylvester, Rosellus, Corduba, Armilla, Diana, & communis ferè omnium, teste Lugo loc. cit. arg. c. Pervenit. de Censibus, h. 1. & c. Quamquam. eod. in 6. Ratio esse potest; quia melior est conditio possidentis, c. 65. de R. J. in 6. consequenter si dubitatur an Tributum justè petatur, melior est conditio subditi bonâ fide adhuc possidentis. Nec dicas cum Adversariis, quando est dubium de justitia legis, vel præcepti, præsumptionem stare pro Superiori, eique parendum esse, juxta communem. Nam contra est, quòd hæc doctrina tunc non verificetur, nec procedat, quando agitur de ipso Legislatoris interesse proprio; hoc enim in casu præsumptio pro ipso non fiat, præsertim hoc tempore, ubi non raro Tributa, Exactiones, & similia injustè, & excessivè imponuntur. Accedit, quòd cum ipsa Jura tam Canonica c. Quamquam. 4. de Censibus in 6. quam Civile I. Non solent. C. Vectigalia nova, damnent & rejiciant novas Exactiones, & Pedagogia nova, consequenter solvenda non sunt quando de

eorum justitia apertè non constat, arg. c. Pervenit. h. 1. eò quòd contra ea ipsum Jus militet. Dixi notanter nova: quia quando dubitatur de Antiquis, de quorum initio non extat memoria, præsumendum est, ea justa de causâ imposita esse, consequenter obligare in conscientia, ut citati Doctores, & alii ferè communiter affirmant. Grandis autem modò est difficultas de justè impositis novis Tributis, Exactionibus &c. Ad quam

Resp. III. Si non certa, sanè certò probabilior ac verior est sententia dicens, quòd Tributa, Exactiones, Gabellæ, ac Vectigalia etiam nova justè imposita obligent in conscientia, ita ut ea defraudans pro materie quantitate graviter, vel leviter peccet, atque ad restitutionem teneatur. Ita Communissima, signanter Lessius loc. cit. dub. 1. numer. 8. Lugo Disp. 36. sect. 4. Layman loc. cit. n. 5. Diana p. 1. tr. de Legibus Resol. 19. Molina Disp. 674. Item pro & contra Lessius Covarruvias in c. Peccatum. de R. J. in 6. p. 2. §. 5. nu. 1. & 5. Alphonfus de Castro lib. 1. de Lege Pœnalis. cap. 9. & 11. ubi dicit, Conclusionem adeò esse certam, ut contraria doctrina sit error, Navarrus in Manual. cap. 17. n. 200. Sanchez lib. 2. Consil. cap. 4. dub. 1. num. 8. Sylvester, Cajetanus, Corduba, Medina, Sporer loc. cit. n. 150. & Communissima aliorum, contra Angelum, Henricum, Durandum, Lissiam, & alios satis graves Authores. Probatur. Obligatio solvendi Tributa, Exactiones, & Vectigalia justè est de Jure Divino, & naturali; ergo obligat in conscientia. At probatur, ad Romanos. 13. dicitur: Ite enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc servientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Et Matth. 21. Christus ipse, quæstione factâ de hac materia, ostenso sibi numismate dixit: Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei. Imò non tantum verbo, sed & exemplo docuit, justa Tributa esse solvenda; dum Matth. 22. profese, & Petro Tributum solvit. Probatur, quòd etiam sit de Jure naturali. Tributa, Exactiones, Gabellæ, & Vectigalia justè exiguntur, vel tanquam justa merces Principi pro sustentatione ejusdem, vel pro communè utilitate Republicæ procuranda, vel malo ejusdem avertendo; atqui utrumque obligat de Jure naturali; ergo. Probatur Min. quoad primum, quando enim tributa exiguntur pro sustentatione Principis, tunc si quidem sunt justa merces pro laboribus, & oneribus, quæ Princeps sustinet in gubernanda, & conservanda Republica: de Jure autem naturali dignus est operarius mercede sua; ergo. Probatur quoad secundum: de Jure naturali tenentur Membra Communitatè etiam cum privato aliquo proportionato damno, evitare damnum Communitatè, ejusque bonum procurare, si aliter fieri non potest: atqui, uti supponitur, damnum Communitatè alia ratione averti nequit, nec bonum ejusdem procurari, nisi Communitatè Membra Tributa, vel alias Exactiones solvant; ergo. Confirmatur, Lex, vel mandatam Superioris justum obligat in conscientia, juxta certissimam apud Covarruviam loc. cit. num. 1. juxta illud Pauli ad Rom. 13. Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt: ita qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, sibi ipsi damnationem acquirunt. Huc faciunt etiam dicta Lib. 1. Tit. 2. de Constit. §. 9. Confirmatur ulterius, quodcumque quis ab alio justè, sive ex justitia præterdit & exigit, ille, à quo præterditur, obligatur justè petenti illud dare; quia correlativorum eadem est ratio & disciplina, per vulgaria: atqui Princeps ex justa causa petens Tributa justè, sive ex justitia illa exigitur ergo.

Objicies I. Cum Authoribus contrariam sententiam tenentibus: Lex pœnalis non obligat in conscientia,

scientia, sed Lex imponens Tributa, Exactiones, Gabellas, Vectigalia, est pœnalis; ergo. Resp. Distinguen-do Major. Lex merè pœnalis non obligat in conscientia, concedo Major. Lex pœnalis mixta, qualis est Lex Tributa & Vectigalia imponens, utpote quæ sub culpa simul & pœna obligat, nego Major. Distinguitur etiam Minor. Sed Lex Tributa &c. imponens est pœnalis, merè talis, negatur Minor, mixta, conceditur Minor, & negatur Conseq. Ex hoc enim, quòd aliqua Lex sub pœna feratur, non bene inferitur, eam esse merè pœnalem, sub pœna obligantem; aliàs certè Lex non furandi, non occidendi &c. essent merè pœnales sine culpa ad solam pœnam obligantes. Quòd autem Lex Tributorum sit mixta, inde patet; quia obligat de Jure Divino, & naturali, cuius obligatio non inimè tollitur per pœnam, quæ est per Legem humanam de novo adjecta: sicut universaliter per hoc, quòd aliquid de novo sub pœna prohibetur, non tollitur obligatio sub culpa, sub qua prius jam idem vi Legis Divinæ naturalis, aut Canonice erat prohibendum.

47 Objicies II. Lex Tributa, & Vectigalia etiam justè imponens de Jure Divino ac naturali aliter non obligat, quam eo modo, quo Legem ponit, & obligare vult Legislator humanus Tributa imponens: sicut enim non obligante, quòd Deus universaliter præcipiat, Obediæ præpositis vestris, & subjacere eis, nihil mirù hoc præceptum Divinum aliter non obligat, quàm ut obediamus Superioribus, eo modo, quo præcipiunt, indeque Superior humanus sub sola pœna aliqua præcipere potest; ita etiam non obstante Lege Divinâ, quæ præcipitur ut detur Tributum, cui tributum, vectigal, cui vectigal, hæc Lex ad plus non obligat, quàm ut detur Tributum eo modo, quo Legislator præcipit, qui sub sola pœna præcipere potest: sed Legislator humanus imponens Tributa, & Vectigalia sub sola pœna obligare intendunt; ergo. Minor probatur, quando dubitatur de mente Legislatoris, nunquam sub sola pœna, vel etiam sub culpa obligare intendat; intentio ejusdem inter alia optinè etiam desumitur ex consuetudine, juxta communem Theologorum, & diximus in nostra Theologia Morali Tr. 2. Diss. 2. n. 33. eò quòd dicitur: tunc sit optima Legum interpret, c. Cum dicitur. 8. de Consuetud. atqui per communem consuetudinem Lex Tributorum & Vectigalium habetur pro mera pœnali, cum homines absque ullo scrupulo aut timore de peccato, passim, ubi possunt, Vectigalia, Tributa, & Gabellas defraudant, id solum attendentes, ne in foro externo deprehendantur; ergo. Resp. Transmissâ Major, & probatione ejusdem; negando Min. videlicet, quòd Principes imponentes Tributa & Vectigalia apertè justè & moderata, vel pro decenti suorum non excessivâ sustentatione, vel pro bono communi, quod alia vi haberi nequit, non intendant obligare in conscientia; præsertim cum ad hoc faciendum à lege naturali ac Divina dirigantur: cui derogare cum suorum & Communitatè præjudicio velle non sunt præsumendi. Ad probationem respondeo concessâ Major. rursus negando Minor. quòd nempe universim quævis Lex Tributa, & Vectigalia etiam justè imponens habeatur vi consuetudinis pro merè pœnali, & passim sine scrupulo violetur; quævis enim id fiat in Tributis, & Vectigalibus, quæ communè estimatione videntur excessiva, & nimia, vel de quorum æquitate saltem dubitatur; tamen de apertè justis aliter videntur fieri, eaque à timentibus Deum (mali pro exemplo adducendi non sunt) exactè solvi, vel non soluta Confessione subijci; hoc ipso, quòd sciant, se ad honestè sustentandum Principem, malumque commune avertendum de Jure naturali, ac Divino obligari. Cæterum ex hæcenus data doctrina

Colliges I. Quòd, quia experientia teste, hoc tempore sæpius omnino inultè, vel certò apertè excessivè imponantur nova Tributa, & Exactiones alias, sed non ita sive justa sint, sive injusta, dare cogantur, ac severe compellantur, id conscientia liceat subditis etiam justè ac moderata defraudare Tributa, & Exactiones, si alia via non possint se indemnem reddere ratione Tributorum, & Exactionum injustarum vel excessivarum, quas dare sunt coacti. Idem est de Gabellis & Vectigalibus noviter impositis.

Colliges II. Quòd, cum hodie rarò superfit via subditis defraudandi Tributa, & Exactiones alias, sed non ita sive justa sint, sive injusta, dare cogantur, ac severe compellantur, id conscientia liceat subditis etiam justè ac moderata defraudare Tributa, & Exactiones, si alia via non possint se indemnem reddere ratione Tributorum, & Exactionum injustarum vel excessivarum, quas dare sunt coacti. Idem est de Gabellis & Vectigalibus noviter impositis.

Colliges III. Quòd, licet Gabellæ, & Vectigalia, sicut etiam Tributa avari ac ordinariè præsumantur justè, nihilo minus, si videt subditus quòd per nova Tributa, Exactiones, Gabellas &c. injustè fit gravatus, etiam antiqua defraudare in tantum valeat quantum per nova se injustè gravatum cognoscit. Et quoniam hoc in Gabellis & Vectigalibus commòdò fieri potest, in istis fieri dicto modo licebit.

Colliges IV. Quòd, cum his perveris temporibus perferè & toties injustè, vel excessivè (abstracto à quavis Provincia in particulari & Principe, quorum nulli per hoc in minimo detrahere, vel derogare intendimus, sed universaliter pro toto mundo scribimus) graventur, & emungantur, ut ob omnes præclusas vias vix possibile sit subdito, tantum defraudare, quantum ad recuperandum injustum damnnum passum sufficiens esset ordinariè, & in praxi loquendo, vel nunquam, vel rarò peccent subditi, multò minus ad restitutionem obligandi sint, si defraudant quodcumque tandem genus Tributorum, Gabellarum, aut Vectigalium.

Colliges V. Doctrinas huc usque traditas nequam procedere de annuis Canonibus, & Laudemiis, quæ à subditis Enphyteutis vel Fundatariis præstantur Dominis in recognitionem dominii directi ac alias similes estimationes, eò quòd hæc vi contractis Jure naturali obligantis sum vim, & efficaciam habeant. Nisi etiam in his excessus fiat, & injustitia à Dominis, ut si sine justa causa Canones annuos, vel Laudemia augment; vel Laudemia injustè multiplicent, juxta dicta supra Tit. de Locat. Conduct. §. 7.

§. IV.

De Procuracionibus: ubi etiam de Visitationibus.

SUMMARIUM.

- 49 Procuratio ad præsens quid?
- 50 Tenentur ad eam omnes Ecclesie, & Monasteria Visitationi subiecta.
- 51 Excipiuntur Oratoria privata.
- 52 Item Ecclesie habentes privilegium non dandi, aut consuetudinem universalem contrarium.
- 53 Atque Ecclesie pauperes; & quomodo?
- 54 Nec non Ecclesie Civitatis, ubi Episcopus Sedem habet.
- 55 Hospitalia, & alia loca pia pro pauperibus erecta non tenentur ad Procuracionem.
- 56 Procuratio, quæ comprehendat? Vicili nonine, quæ veniant? Ibid.
- 57 Debet tantum moderata peti, & dari.
- 58 Visitatio cujusvis Ecclesie unâ die peragi debet.

- 59 Licetum est, loco Procurationis pecuniam accipere. Et num. seq.
- 61 Inuitu Procurationis nullus omnino potest aliquod munus etiam gratis oblatum accipere.
- 62 Procuratio consuetudine universalis tolli potest.
- 63 Non item particulari, seu prescriptione.
- 64 Dicitio seu factio sensum declarativum. Ibid.
- 65 Visitatio, & visitare quid?
- 66 Episcopi per se, vel per alios singulis annis tenentur visitare Diocesim, vel saltem quoties biennio.
- 67 Ecclesias omnes, & Monasteria non exempta.
- 68 Non item Monasteria exempta, habentia Caput Ordinis; nisi habeant etiam Ecclesias seculares.
- 69 Monasteria Ordinis Caput non habentia, quando visitare possunt?
- 70 Episcopus in Visitazione non tantum Ecclesias, & Clerum, sed etiam populum visitare debet quoad delicta, & foenialia, aliaque avertere. Et num. seq.
- 71 Laici quoad delicta, & peccata subsunt jurisdictioni, & Visitati Episcopi. Ibid.
- 72 Visitatio non potest prescribi. Remissive.
- 73 Queritur I. Quid sit ad propositum Procuratio, & quomodo ad eam teneantur? Resp. I. Quamvis alias Procuratio vacia significet, ad praesens tamen aliud non est, quam contributio sumptuum, & expensarum necessariorum pro victu & honesta sustentatione temporis Visitatoris praestanda illis, qui Ecclesias Diocesis visitant. Ita in re communis, arg. c. Procuratoribus. 23. h. t. & Concil. Trident. Sess. 24. de Reform. cap. 3. Cum enim multum, imo plurimum interit, ut Ecclesiae saepe visitentur, juxta dicenda infra num. 66. Ideo in Concilio Toletano. 4. cap. 35. relato can. Episcopum. 11. cau. 10. q. 1. statutum, atque a Concilio Tridentino lo. cit. denud confirmatum fuit, ut Episcopi per se, vel per alios singulis annis visitent omnes Ecclesias suae Diocesis; quod ut promptius facerent, & ne timore expensarum Visitaciones negligenter, ulterius statuere, ut eisdem honesta sustentatio ex redditibus Ecclesiae praebereatur pro eo tempore, quo eam visitant, per Jura allegata.
- 74 Resp. II. Regulariter loquendo ad Procurationem, seu honestam sustentationem Visitatoribus praestandam, tenentur omnes Ecclesiae, & Monasteria Visitati subiecta, nisi per Jura ab hoc onere sint exempta. Communis ac certa, arg. c. Conquirentes. 16. de Offic. Ordin. c. Cum ex Offic. 16. de Prescript. c. Procuraciones. 23. h. t. ibi: Procuraciones ratione Visitacionis debentur Episcopis &c. & c. Sopita. 14. eod. ubi etiam Monasteria quantumvis aliis a Lege Diocesana exempta, per dicta num. 12. ad eam teneri dicuntur, & Concil. Trident. lo. cit. Quod intelligit, etiam si Episcopi, vel alii Visitatores aliunde sufficientes, vel etiam abundantes redditus habeant, ut bene observat Abbas in c. Procuraciones. 23. h. t. Tum quia nemo cogitur propriis stipendiis militare; & magnum non est, si metas carnalia, qui spiritualia seminant, ut dicitur cit. c. Cum ex Offic. de Prescript. Tum quia dignus est operarius mercede sua, Lucae 10. Tum ut magis alliciantur ad Visitacionem Episcopi, quam alias ob annuas expensas facile negligerent.
- 75 Dixi, Regulariter loquendo, quia limitatur Conclusio I. In Oratoris privatis, etiam si ab Episcopo, vel per Destinatum ab eo visitentur. Omnes, obtextum expressam c. fin. h. t. ubi Summarium sic habet: propter Oratorum privatum Procuratio Visitacionis non debetur. Censetur autem Oratoria privata illa, quae auctoritate Episcopi non fuerit erecta, ut in cit. c. fin. bene observat Barbosa, & constat ex dictis, Tit. de Religios. Domib.
- 76 Limitatur II. In Ecclesia, quae vel speciali privilegio Pontificio est exempta, c. Cum instantia. 17. h. t.

Item in locis seu Provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud a Visitatoribus accipitur, sed omnia gra. h. stant, uti expressè statuitur a Concilio Tridentino Sess. 24. de Reform. cap. 3. quod intelligit de consuetudine universalis alicujus Diocesis, vel Provinciae, non item alicujus loci, vel Ecclesiae particularis, juxta dicenda infra numer. 62.

Limitatur III. In Ecclesiis, & Beneficiis pauperibus, qui sufficientes redditus ad Procuracionem Visitatoribus praestandam non habent. Fagnanus in c. Venerabilis. 24. h. t. n. 33. Barbosa de Offic. & potest. Episc. lo. cit. n. 51. Joan. Andreas in c. Procuraciones. 23. h. t. n. 6. & ibi Hostiensis. n. 4. Bar. n. 5. Cardinal. n. 2. Barbosa de Offic. & potest. Episc. allegat. 73. n. 5. Abbas n. 7. Pirhing. h. t. n. 82. cum Communis. arg. can. Cavendum. cau. 10. q. 2. c. Statutum. 11. §. Insuper. de Rescript. in 6. ibi: Ubi notabiliter fuerint pauperes, etiam pro expensis nihil prorsus exigatur ab eis. can. Placuit. cau. 1. q. 2. ibi: Si aut pauperes, aut necessitas illum retinet, nihil exigatur ab eo, & c. Cum instantia. 17. h. t. & ibi Glossa §. Indebitè pregraviari, ubi ait: imò ad pauperem non debet exigere; rationem aliquam addit; quia nec Index sportulis exigit a pauperibus, Novell. 17. cap. 3. Unde in Visitacione ita pauperum Ecclesiarum debet Episcopus ex suis redditibus expensas solvere. Bellet. Disquisit. Cleric. p. 1. de Cleric. de bit. §. 11. n. 8. Intelligit, si notorie constat de paupertate Ecclesiae, aut Beneficii. In dubio enim potest Episcopus Juramentum exigere a Rectore Ecclesiae, vel Beneficiario paupertatem allegante Abbas lo. cit. n. 7. arg. c. fin. de Jurjurand. vel sub conditione eundem excommunicare v. g. Excommunico te, nisi Procuracionem praebes juxta facultatem tuam. Abbas ibid. Advertendum tamen, quod si aliqua Ecclesia dare aliquid, sed non totum pro necessaria Procuracione praebere valeat, ex toto non eximatur, sed cum alia simili, vel pluribus pauperibus concurrere debeat juxta dicenda infra numer. 58.

Limitatur IV. Si Episcopus visitat Ecclesiam Cathedralis, aut alias Ecclesias, vel Clerum Civitatis, in quo Sedem habet. Fagnanus lo. cit. n. 15. Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 73. n. 46. Pirhing. h. t. n. 74. & alii, arg. Concil. Trident. Sess. 24. cap. 3. ubi juxta jus commune c. Venerabilis, statuit, ut non nisi tempore necessitatis id est, si extra Sedis suae Civitatem in tali Diocesis loco visitat, ex quo pro refectio. ne domum venire non possit, prout teste Fagnano lo. cit. saepe declaravit S. Congregatio.

Resp. III. Hospitalia, Leprosaria, & alia pia loca pro pauperibus, aut infirmis deputata, etiam auctoritate Episcopi erecta, non tenentur ad Procuracionem Visitatoribus exhibendam, etiam si amplissimos habeant redditus. Fagnanus lo. cit. n. 34. Barbosa lo. cit. n. 50. Pirhing. h. t. n. 79. Sylvester y. Hospitalia. Cardinal. in Clem. Quia contingit. de Religios. Domib. n. 13. & ibi Imola n. 23. Bellet. lo. cit. n. 10. Estque declaratum a S. Congregatione, teste Fagnano lo. cit. Ratio potissima est; quia redditus talium locorum omnes quantumvis ampli applicari debent in usus pauperum, Elem. Quia contingit. de Religios. Domib. consequenter, si quid ab his exigeretur, pauperibus praedjudicaretur, utpote qui ad victualia non tenentur, arg. c. 4. h. t. ubi bene ibi notat, & Conclusionem fuisse prosequitur Fagnanus lo. cit. ubi vide.

Queritur II. Quanam comprehendantur sub Procuracione? Et quomodo exigi possit, ac praestari debet? Resp. I. Sub ea comprehendit omnia, quae sunt necessaria pro victu, cibo videlicet, potu, & habitatione ipsius Visitatoris, & honesti comitatus ejusdem; item pabulum pro equis & jumentis necessariis; quae omnia ex redditibus Ecclesiae, aut Beneficii praebere debent, & a Visitatore exigi possunt, quoad

quamvis Visitatio durat. Azorius p. 2. lib. 3. cap. 42. q. 7. r. Queres. Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 73. n. 57. & communis aliorum. Ratio est; quia omnia praestata nomine victus veniunt, l. Verbo victus. & duabus seqq. ff. de V. S. Quoniam verò victus nomine non veniunt vecturae equorum, & jumentorum, ideo ad expensas, quae in eis emendis aut conducendis, ac quae in itineris transitu, aut etiam in factura equorum sunt, Ecclesia non tenetur. Azorius lo. cit. q. 8. Barbosa lo. cit. Abbas in c. Procuraciones. 23. h. t. n. 4. Sylvester y. Visitatio. §. 6. Bellet. lo. cit. §. 11. n. 4. & alii; nisi Visitator sit Nuntius, aut Legatus Apostolicus, cui etiam expensae pro equis de loco ad locum, necessariae solvi debent, ut citati DD. liantur.

57 Resp. II. Sicut non potest Visitator ex redditibus Ecclesiae visitantis praetendere victum, nisi moderatum, ita obligatio non nisi ad moderatum, & talem se extendit, ex quo nimirum non gravatur Ecclesia, citis Juribus c. Cum Apostolor. 6. c. Procuraciones. 23. h. t. c. Conquirentes. 16. de Offic. Ordin. juncto Concilio Tridentino Sess. 24. de Reform. cap. 3. ibi: Exceptis tantum victualibus, quae sibi ac suis frugaliter, ac moderate pro temporis tantum necessitate, & non ultra erunt ministranda. Hinc prohibetur cit. c. 6. h. t. ne Visitatores cum canibus venatoris, & avibus proficiscantur, sed ita procedant, ut non quae sua sunt, sed quae Jesu Christi, quaerere videantur. Nec sumptuosas epulas quaerant, sed cum gratiarum actione recipientes, quod honestè, & competenter eis fuerit ministratum. Et quamvis etiam attendi possit ac debeat consuetudo loci, & conditio Visitatoris, tamen semper observare oportet, ne nimium, & ultra facultates grauetur Ecclesia, per Jura citata, & c. Solita. 14. ac c. Cum nuper. 25. h. t.

58 Potest ad evitanda gravamina Ecclesiarum ordinatur, ut, nisi necessitas aliud exigat, Episcopus Diocesis visitans non amplius quam unum diem per unquamque Basilicam remorandi licentiam habeat, can. Inter cetera. cau. 10. q. 3. Quod idem c. Procuraciones. 23. h. t. habetur, dum statuitur, ita sicut ordinariae Visitaciones, ut numerus Procuracionum numerum dierum non excedat; ubi ulterius ordinatur, quod si pro faciendi Procuracione necessaria non suffecerit aliqua (Ecclesia) pro se ipsam, due, vel plures conjungantur in unum.

59 Resp. III. Quamvis olim prohibitum fuerit pretium moderate Procuracionis in pecunia accipere, can. Relato. cau. 10. q. 1. & c. 1. §. Procuracionem, & c. 2. h. t. in 6. tamen id hodie omnino licet, textu expresso c. 3. h. t. in 6. ibi: Concedimus, ut Episcopi, & alii, quibus ex Officio competit visitare, volentibus Ecclesiarum & locorum Visitatorum Recloribus seu personis pecuniam licite recipere valeant pro sumptibus moderatis faciendis in victualibus, & diebus, quibus Visitatoris Officium personaliter exercebunt. Et Concilium Tridentinum Sess. 24. de Reform. cap. 3. ibi: Sit tamen in optionem eorum, qui visitantur, si malint solvere id, quod erat ab ipsis ante soluta pecunia taxata consuetum, aut verò praedicta victualia subministrare.

60 Ubi tamen notandum, quod si Visitator unum diem plures Ecclesias visitando absolvat, eidem non liceat, nisi unam Procuracionem accipere unum diem &c. etiam si locus quilibet visitatus ab illo, sufficeret ad Procuracionem integram subeundam; cum eidem sufficere debeat, ut temporalia metat à locis personaliter visitatis, pro diebus, quibus eis spiritualia subministrat, prout in terminis statuitur cit. c. 3. h. t. in 6. Hinc in tali casu plures Ecclesiae unum diem visitatae, debent expensas factas vel faciendas proportionatim inter se dividere, & omnes simul tantum, non plus solvere, quantum Procuratio seu honesta, ac moderata sustentatio unius diei pro Visitatore & comitatu ejusdem efficit; quod etiam ob-

servat Zerola v. Visitatio. §. Sextum dubium.

Resp. IV. Tam Episcopus, quam deputatus ab eo Visitator cavere gravissime tenetur, ne causa, & occasione Visitacionis ipse, vel quispiam suorum (sive famulus, sive Secretarius, sive qui alius de comitatu ipsius sit) aliquid munus, quodcumque sit & qualitercumque offeratur, presumat recipere (excepto necessario victu) ut non quae sua sunt videatur quaerere, sed quae Jesu Christi. Quod si fuerit contra presumptum, recipiens maledictionem incurrat, à qua nunquam, nisi duplum restituat, liberetur; volumus enim in his fraudem quamlibet penitus evitari: sunt verba Pontificis c. 2. h. t. in 6. quod idem statuit Concilium Tridentinum Sess. 24. de Reform. cap. 1. ubi Constitutionem extendit etiam ad visitationem Testamentorum ad pios usus, additque clausulam non obstante quacumque consuetudine etiam immemoriali: simulque mandat, ut dupli restitutio intra mensum fiat. Ex quo Barbosa in c. 1. h. t. in 6. n. 17. & 22. monet Confessarios, ne aliquem ex dictis, munus occasione Visitacionis acceptantem absolvant, nisi prius tero promittat, quod intra mensum in duplo restituere velit.

Queritur III. An consuetudine aut prescriptione abrogari possint Procuraciones, ita ut Ecclesiae visitatae ad nullas expensas pro victu Visitatoris solvendis teneantur? Resp. Quamvis consuetudine universalis integre alicujus Diocesis, vel Provinciae abrogari possint Procuraciones de Jure debite, nequit tamen id fieri aliqua prescriptione particulari unius, vel alterius Ecclesiae in Diocesi. Prima pars de consuetudine universalis Diocesis est hodie certa apud Omnes, ob clarissimam Dispositionem Concilii Tridentini Sess. 24. de Reform. cap. 3. cujus textum vide supra numer. 52.

Secunda pars docetur, & solidissime probatur à 63 Fagnano in c. Venerabili. 24. h. t. n. 25. contra Barbolam de Offic. & potest. Episc. Alleg. 73. nu. 43. Stephan. Gratian. Discept. Forens. cap. 57. n. 19. & Communissimam aliorum, qui praestatum textum Concilii Tridentini de consuetudine Provinciarum extendunt etiam ad particularem consuetudinem, seu potius prescriptionem Ecclesiarum in particulari, putantque per eum, derogatum esse Juri antiquo contrarium statutenti. Probatur autem sententia nostra clarè ex Jure c. Cum instantia. 17. h. t. ubi expressè habetur, quod contra Procuracionem prescriptio sibi locum nequeat vendicare; etiam si longissimo tempore Procuracionis obsequium non impenderint. Quod idem reperitur c. Accedentes. 11. de Prescript. Rationem & solutionem Textuum aliorum, qui in Jure videntur contrarii, vid. Lib. 2. Tit. 26. de Prescript. à n. 50.

Nec valet fundamentum Adversariorum dicens, Juri communi pro sententia nostra per varios textus allegato, derogatum esse per Concilium Tridentinum Sess. 24. de Reform. cap. 3. vi textum num. 52. postit. Nam contra est, quod Concilium ibidem non loquitur de Prescriptione, sed de consuetudine; ibi: ubi est consuetudo in locis, seu Provinciis &c. ad consuetudinem autem proprie talem requiritur, ut sit generalis in loco, cum à particularibus introduci nequeat, uti Prescriptio: quae per hoc essentialiter differt à consuetudine, quod illa detur inter privatos, & à privato inducitur: contra verò consuetudo cum sit Lex & Jus non scriptum l. De quibus ff. de Legis. & §. Ex non scripto. Instit. de Jure natur. cum Concordantis, non nisi respectu Communitatis in aliquo loco detur, & non nisi ab hac introduci queat, prout jam dictum est Lib. 1. Tit. 4. de Consuetud. num. 23. & fateatur ipsi Adversarii; ergo ab hac ad illam non licet argumentari. Praetertim quia ipsammet Concilium Tridentinum expressè tantum de consuetudine universalis integratum Provinciarum, & non de particulari unius, vel alterius Ecclesiae loquitur cit. Sess. 24. de Reform. cap. 3. per verba in illis locis & Provinciis,

ciis, ubi est consuetudo, & g. can. Non. dist. 12. & l. Omnes. c. de Episc. & Cleric. Accedit, quod dictio seu hic non sumatur in sensu disjunctivo, sed declarativo, & expositivo indicans, quod verba inter quae stat, idem significant, ut bene advertit Fagnanus lo. cit. n. 27. ut sensus sit, in locis seu, id est, Provincialis, arg. c. Cons. 7. de Posulat. Pralat.

Confirmatur. Correctio Jurium est odiosa, & pro possibili vitanda; cum expedit Jura Juribus concordare, & eorum correctiones, si sustineri valeant, evitari, ut dicitur c. Cum expedit. 29. de Election. in 6. ergo cum in praedicto sensu bene concordare possimus cum Juramento cum Jure antiquo, id facere debemus.

Quandocumque Procuratio ratione, & intuitu Visitationis datur, non incongrue breviter de ea hic agitur.

64. Queritur IV. Quid sit Visitatio, seu visitare, ratione cuius debatur Procuratio? à quibus? circa quae? quare? & quomodo fieri possit, vel debeat? Resp. I. Visitare nihil aliud est, quam excessus, ac defectus inquirere, inventosque castigare, & convenientibus remediis emendare; atque observantiam obligationum juxta cujusvis personae, ac rei exigentiam, ubi adhuc viget conservare, & ubi deficit, in primum restituere. Barbosa de Offici. & potest. Episc. Allegat. 73. nu. 7. & in re communis, patebitque ex sequentibus.

65. Resp. II. Locorum Ordinarii v. g. Episcopi non tantum possunt, sed etiam tenentur graviter singulis annis, aut si ob latitudinem fieri nequeat, saltem quolibet biennio totam Dioecesim, & Ecclesias ejusdem visitare. Communis ac certa, per clara Jura can. Decrevimus. 10. cau. 10. q. 1. ibi: Decrevimus, ut annis vicibus ab Episcopo Dioecesis visitentur, & can. Episcopum. 11. ead. cau. & q. ibi: Episcopum per singulos annos ire oportet, ut exquirat &c. Quod si ipse aut languore letentur, aut aliis occupationibus implicentur, id explorare nequeverit, Presbyteros probabiles, aut Diaconos mitat, qui relictus Basilicarium, & Ministrantium vitam inquirant. Concordat Concilium Tridentinum Sess. 24. de Reform. cap. 3. ibi: Patriarche, Primates, Metropolitanus, & Episcopi proprium Dioecese per se ipsos, aut, si legitime impedit fuerint, per suum Generalem Vicarium aut Visitatorem, si quot annis totam propter vicis latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem eius partem, ita tamen, ut tota biennio per se vel per Visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant. Simile quid habetur Sess. 7. de Reform. cap. 8. ibi: Locorum Ordinarii Ecclesias quascumque, quomodo libet exemptas, auctoritate Apostolica singulari annis visitare teneantur, & opportunitatis Jure remediis providere, ut, quae reparatione indigent, repoveantur; & Cura animarum, si qua illis imminuat, aliisque debitis obsequiis, minime defraudentur; appellationibus, privilegiis, consuetudinibus etiam ab immemorabili tempore praescriptis, judicium deputationibus, & illorum inhibitionibus penitus exclusis.

66. Resp. III. Non tantum Ecclesias communes Dioecesis, sed etiam Capitula, & Ecclesias Cathedralis, alicuique majores, & personas illarum: item Monasteria non exempta, & quidem saepius in anno, si placuerit, visitare potest Episcopus. De Capitulis Cathedralibus aperte constat, ex Concilio Tridentino Sess. 6. de Reform. cap. 2. ibi: Capitula Cathedralium, & aliarum majorum Ecclesiarum, illarumque Personarum nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordatis, quae tantum suos obligent Auctores, non etiam Successores, tueri se possunt, quo minus à suis Episcopis, & aliis majoribus Praelatis per se ipsos solos, vel illis, quibus huiusmodi privilegia, auctoritate, & Canonice Sanctiones, toties quoties opus fuerit, visitari, corrigi, & emendari, etiam auctoritate Apostolica possunt,

& valeant. De Monasteriis non exemptis constat ex can. Visitandi. 24. cau. 18. q. 2. ibi: Quoties placuerit, & can. Non semel. 29. ead. cau. & q. ibi: Non semel, sed saepius in anno Episcopi visitent Monasteria Monachorum, & si aliquid corrigendum fuerit, corrigatur.

Resp. IV. Regulares tamen, & Monasteria eorum exempta, quae in Congregationem redacta subsunt totius Ordinis Capituli, nullatenus visitari possunt ab Episcopis, etiam si ibidem Regularis disciplina non vigeat. Fagnanus in c. Grave. 19. de Offici. Ordinar. n. 12. arg. Concil. Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 20. Nisi habeant Ecclesias, ob quas eis imminet Cura animarum secularium; quia tunc etiam Regulares hujusmodi Curam animarum exercentes sub suo immediate in iis, quae ad istam Curam & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictionis, visitationis, & correctionis Episcopi, in cuius Dioecesi sita sunt, statuit Concilium Tridentinum Sess. 25. de Regular. cap. 11. & notat Fagnanus loc. cit.

Item nequeunt visitare exempta Regularium Monasteria supremum Ordinis Caput non habentia, si apud eos viget Regularis observantia, etiam si fuerint commendata Monasteria. Fagnanus in c. Grave. 19. de Offici. Ordinar. n. 16. arg. Concil. Trident. Sess. 25. de Reform. cap. 8. ubi tantum illa Monasteria commendata, in quibus non viget disciplina Regularis, datur Episcopis visitandi potestas.

Porro potest Episcopus quoad punctum Clausurae visitare quatuorvis Monachalia Monasteria, etiam illarum, quae supremo Ordinis Capiti subsunt, per dicta Tr. XXXV. §. 2. à n. 28.

Resp. V. Quando Episcopus visitat Dioecese, tunc non tantum Ecclesias, & Clerum, sed etiam Laicos, & populum quoad crimina, & delicta, atque praecipuum observantiam, sicutque Orthodoxam visitare, ac debite corrigere potest, & debet, arg. c. Romana. 1. h. t. in 6. ibi: Nec Clericum tantum, sed etiam populorum visitationem intenus &c. & ibi Inola, Azorius p. 2. lib. 3. cap. 41. q. 2. Ratio est; quia ad potestatem Ecclesiasticam spectat de quocumque peccato mortali corrigere quemvis Christianum, & si correctionem contempserit, per distractionem Ecclesiasticam coercere; ut dicitur c. Novit. 13. de Jud. Confirmatur ex Concilio Tridentino Sess. 24. de Reform. cap. 3. ubi Visitationis finem illis verbis proponit: Visitationem autem omnium istorum praecipuum sit scopus, sanam Orthodoxamque doctrinam, expulsis haeresibus, inducere; bonos mores tueri; praevarios corrigere; populum cohortationibus, & admonitionibus, ad Religionem, pacem, innocentiamque accendere; caetera prout tempus, locus, & occasio feret, ex Visitationum prudentia ad Fidei fructum constituere. Ad quem finem ordinatur cit. c. 1. h. t. in 6. ut si Visitator commode, & absque difficultate accedere ad unamquamque (Ecclesiam) non poterit, de pluribus locis ad unum congruam, Clericos, & Laicos sudeat convocare, ne in illis Visitatio postponatur.

Infertur, illos Visitatores muneri suo minime satisfacere, qui de Ecclesiis, & Clericis tantum solliciti, populum penitus negligunt, & debitam curam non adhibent, quomodo imponere grassantia publica vitia, & scandala, scandalosaeque consuetudines convenientibus mediis tollantur, impediuntur, & eradiciuntur; praesertim cum auctoritas Episcopalis in his pro munere officii debite interposita plus quam copiosae efficiant Conciones Pastorum de Cathedrali.

Ceterum de modo visitandi spectanda cujusvis Dioecesis laudabilis consuetudo; dummodo substantialia à jure praescripta non negligantur. Videri etiam de hoc possunt integrae formulae ab Auctoribus traditae. De quibus, sicut & de reliqua Visitationis materia

materia consule Doctores, praesertim Barbosam de Offici. & potest. Episc. Allegat. 73. q. 75. Fagnanum in c. Concreto. & c. Grave. de Offici. Ordinar. Azorium p. 2. lib. 3. cap. 41. & q. 2. & alios.

Solum hic addendum, quod contra Visitationem nulla fieri possit Praescriptio, prout late jam probatum est Lib. 2. Tit. 26. de Praescript. à numer. 49. ubi vide.

TITULUS XL.

De Consecratione Ecclesiarum, vel Altaris.

1. Ratio Ordinis.

Quoniam Censuram Ecclesiasticam, de quo in praecedenti Titulo egimus, potissimum imponitur in Consecratione Ecclesiarum, hinc ordine non incongruo praesens Titulus praecedentem sequitur.

§. I.

De Consecratione Ecclesiarum, & Coemeterii: ubi etiam de Execratione, & Violatione, seu Pollutione: ac de Reconciliatione utriusque.

SUMMARIUM.

1. Consecratio Ecclesiarum quid?
2. Potest fieri per solum Episcopum loci.
3. Sub Missa: quavis tamen die.
4. Ecclesia non potest consecrari sine sufficienti dote: & quae haec?
5. Limitatur hoc in Ecclesiis Regularium.
6. De ritu Consecrandi. Remissio.
7. Prædix non tenetur Episcopus j. junare.
8. Fratres Minores p. sum proprias Ecclesias & Oratoria b. nedicere, ac ad cultum Divinum deputare.
9. Quomodo probetur Ecclesiarum Consecratio? Et quid Juris in dubio?
10. Testis unus quando sufficit? quando non? Ibid.
11. Ecclesia ex tota, vel secundum majorem partem simul destructa, exccratur, & indiget nova Consecratione.
12. Non item, si successore, vel secundum minorem partem.
13. Quid si igne excuratur?
14. Ecclesia amplificata quando indigeat Consecratione.
15. Mixtione quomodo non sacra fiant sacra?
16. Ecclesia polluitur iniuriis sanguinis effusione.
17. Si fiat per actionem graviter peccaminosam in ipsa Ecclesia? Et num 18.
18. Et sanguis copiose suat.
19. Ecclesia polluitur insuper per homicidium in ea commissum.
20. Et per quales? Ibid.
21. Item per illicitum seminis effusionem: & qualem?
22. Ac per sepulturam Excommunicati, aut Infidelis, vel infans non baptizati.
23. Ob nullum occultum delictum Ecclesia polluitur.
24. Effectus pollutionis Ecclesiae quid?
25. Si Ecclesia consecrata violatur, debet statim, & quidem de Jure per Episcopum reconciliari.
26. Ex commissione, vel Privilegio Pape (non item Episcopi) potest reconciliatio fieri à simpli Sacerdote.
27. Tale privilegium pro suis Ecclesiis habent Fratres Minores.

Dieta quid? Ibid.

28. Si Ecclesia non consecrata, sed tantum benedicta polluitur, potest & debet statim à Sacerdote quovis communi aqua Lustrali.
29. Coemeterium consecratur, polluitur, & reconciliatur eodem modo, quo Ecclesia.
30. Polluta Ecclesia polluitur Coemeterium, sed non e contra.

Queritur I. Quid sit Consecratio Ecclesiarum? à quo. quando. & quomodo fieri possit, ac debeat? Resp. I. Consecratio Ecclesiarum est Dedicatio ejusdem ad cultum Divinum speciali ritu facta à legitimo Ministro, ad hoc, ut populus Christianus opera Religionis in ea rite exercere valeat. Sannig h. t. cap. 1. n. 2. & in re Communis. Patetque definitio ex terminis.

Resp. II. Loquendo de Jure, solus Episcopus loci rite consecrare potest Ecclesiam. Barboza de Offici. & potest. Episc. Allegat. 27. n. 1. cum Communi ac certa aliorum, textu claro can. Interdictum. 10. cau. 16. q. 1. can. Nemo. 9. & can. Nullus. 15. de Consecr. dist. 1. Dicitur, rite; quia licet etiam Episcopus alterius Dioecesis Ecclesiam valide consecrare valeat; tamen id rite, seu licite non facit, & propterea per irregulam annum punitur Suspensione ab exercitio Pontificalium. Concilium Tridentinum Sess. 6. de Reform. cap. 5. & Sess. 14. cap. 2. debetque per eundem annum cessare à celebratione Missarum, can. Episcopus. 28. cau. 7. q. 1. si absque licentia Episcopi loci faciat. Quia quamvis non possit Episcopus minus consecrandi Ecclesiam committere alicui Episcopo c. Aqua. 9. h. t. ubi etiam ratio habetur; quia consecrare Ecclesiam est potestas Ordinis Episcopalis, quae non nisi Episcopo committi valet.

Resp. III. Quamvis Ecclesia quovis die etiam non Festivo rite consecrari valeat, tamen non nisi inter Missam licite consecrari potest. Prima pars patet ex c. 2. h. t. ibi: Licet Ecclesiis Dedicacionem impendere tantis diebus Dominicis, quam privatis. Altera pars habetur can. Omnes. 7. de Consecr. & can. de Fabrica. cum Missa debent semper consecrari & can. de Fabrica. 24. ead. dist. unde peccat Episcopus, si absque celebratione Missae Ecclesiam consecret; quamvis consecratio valeat, ut bene docet Miranda in Manual. Pralat. q. 39. a. 1. conclus. 3. Barboza lo. cit. n. 10. & alii.

Resp. IV. Episcopus licite consecrare Ecclesiam non potest, nisi prius de dote ei provisum fuerit, uti expressè dicitur c. Cum si. ut 8. h. t. quae dos competens, & sufficiens esse debet pro Ecclesiae Ministris, luminariis aliisque necessariis, can. Nemo. 9. de Consecr. dist. 1. & can. 1. c. u. 1. q. 2. ibi: Hoc unusquisque Episcoporum meminerit, ut non prius ded. get Ecclesiam, nisi antea dotem Basilicæ & obsequium ipsius per donationem Chartulae confirmatum accipiat. Ratio subjungitur: Nam non levis culpa est ista temeritas, si sine luminariis, vel sine substantiali sustentatione eorum, qui ibidem servituri sunt, tanquam domus privata conquiri ibidem servituri sunt, tanquam domus sufficienti secretur Ecclesia. In cognoscenda haberi ad Decimas, oblationes, & alias obventiones spirituales, Ecclesiae Ministris de Jure competentes, ut bene observat Abbas in cit. c. Cum sicut. 8. h. t. n. 5. & sequitur Pirhing eod. n. 6. ubi etiam post Azorium p. 2. lib. 9. cap. 3. q. 7. Sylvestrum v. Ecclesia. 2. q. 2. addit, quod ab initio tanta dos non requiratur, ut sufficiat etiam ad hospitalitatem, & alia onera sustinenda, arg. c. Cum dilectus. de Consecr. quia nullo à Jure requiritur, tum quia Ecclesiae pauperes ad talia onera non tenentur.

Limitatur tamen Conclusio in Ecclesiis Mendicantium, nec non in Ecclesia, quae edificata in Monasterio